DE
SVBSTANTIIS SEPARATIS
OPVSCVLVM SECVNDVM
DE NATVRA.
ANGELORVM
Et occultis eorum operationibus.

AVTHORE

IO: LAVRENTIO ANANIA

Tabernate

THEOLOGO

AD

INNOCENTIVM X.

PONT. OPT. MAX.





ROMÆ.

Typis Iacobi Dragondelli. M. DC. LIV.

SVPERIORVM PERMISSV.

IVSSV Reuerendissimi Patris Frat. Hyacinthi Libelli S. A. P. Magistri perlegi Librum de Angelis Auctore Ioanne Laurentio Anania Theologo; & quia nil in eo reperi orthodoxæ fidei, vel bonis moribus aduersum, ideò dignum typis reor. Datum Romæ die VIII. Decembris M. CD. LXIV.

D. Augustinus de Angelis Cong. Somaschæ Rector Coll. Clem.



Imprimatur.


Si videbitur Reuerendissimo P. Magistro Sac. Pal. Apost.

M. Episc. Arimini Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Libellus Sac. Palatij Apost. Mag.





LECTORI BENEVOLO

Marcellus Anania Episcopus Nepesinus, & Sutrinus,





ON multis Te alloquar, benigne Lector, paucis te volo. Hic libellus, quem tù habes præ manibus, posthumus est; prodit enim in lucem post fata parentis. Eum conscripsit Ioannes Laurentius Anania patruus meus, qui bonas horas dum vixit, haud perperam contriuit; sed in rem literariam augendam eas insumpsit. Edidit volumen geographicum, quo Orbem Terrarum descripsit tàm graphicè, vt communi omnium calculo nihil


hil potuerit fieri exactius, atquè dilucidius. Elucubrauit præcedens Opusculum, iterum à me typis mandatum, de natura Dæmonum, in quo locupletissimam rerum omnium gazam profudit; ipse enim præter Philosophicas, & Theologicas scientias, quas apprimè callebat, & propter linguarum notitiam, præsertimque hebraicam, cuius ductu mysteria, & arcana Cabalistarum probe penetrauit, amplissima historiarum, cùm naturalium, tùm humanarum eruditione pollebat. Hinc liber ille veluti quoddam gazophylacium preciosa quæque in se recondita complectitur. Et quamuis Dœmonum substantiæ sint spirituales, & omnem nostrum sensum effugiant, adeò tamen perspicuè earum naturam, & proprietates discutit, & rimatur, vt sub oculis eas ponere videatur, neque potuerunt earum tenebræ, quibus ob suam malitiam sunt obuolutæ, prępedire, quominus eas introspiceret penitissimè, & ex illarum obscuritate sibi maximam gloriæ lucem compararet. Aggressus est postea hoc opusculum, quod Tibi in præsentia exhibetur, de natura Angelorum fortasse ob religionem, quæ ipsi incesserat, ne sibi crimini daretur, quod calamo pepercisset in expendenda Angelorum nobilitate, quo vsus fuerat in exprimenda Dœmo-

num

num malitia ; præterquam quod cognatę sibi sunt Angelorum , atquè Dœmonum tractationes, nam ad naturam quod attinet adhuc conueniunt vtræquè substantię , cum peccati virus non infecerit in Dœmonibus naturalia , sed tantum gratuita ; qua proptèr vt plena de his substantijs cognitio haberetur , de vtrisquè instituenda erat specialis elucubratio . Libellus autem hic non degenerat ab alijs præclarissimi huius auctoris fœtibus , cum eadem styli puritas , & castigatio , eadem rerum copia & vbertas , eadem scientiarum profunditas ; & perspicuitas in ipso quēadmodum in cœteris eniteant , in hoc tantummodo illis concedit , quod illi non exierunt in lucem nisi expoliti , exculti , & suis, vt ita dicam, calamistris cyrrisquè exornati & compti , si quidem à proprio parente fuerunt liberaliter emancipati , & in vulgus dimissi ; hic vero , cum ob suum malum fatum antequam è cunabulis abire, & palam cum suis germanis incedere posset , extincto Genitore Orphanus remansisset , nequiuit puritatem illam , atquè concinnitatem adipisci , quas affatim reliqui consecuti fuerant . Accessit aliud infortunium , vt non sui parentis , sed cuiusdam amanuensis calamo fuerit descriptus , qui cum , vt conijci potest , non semper assecutus sit

sensa

sensa, auctoris non modicam labem illi aspersit, quamuis ipse curauerim, vt virorum doctorum industria expurgaretur, & ad suum natiuum nitorem restitueretur. Quamobrem, siquid tibi in illo occurret, quod minus probabitur, nè quęso, auctori vitio vertas; immò potius excusa, quod non potuit, vti fecisset, si fata tulissent, instar Vrsæ suum partum elimare, & affabrè formatum in propatulum emittere: Tuum igitur erit humanissime lector, vt æqui, bonique eum facias, mihiquè bene velis, quod Te hoc munusculo à blattis, & à tenebris vindicato exornare curauerim. Valè.



DE

DE ANGELIS.

Et occultis eorum operationibus.

AVTHORE

IO: LAVRENTIO ANANIA

THEOLOGO

LIBER PRIMVS.



VM probauerim in libro, quem edidi de natura Dæmonum, Dæmones existere, quos Deus in rerum ordine creauit, & non quos hominum ingenium, & ars sibi effinxit, vt eorum terrore à malis patrandis cauerent, ac dixerim quid sint, & quando, & vbi producti fuerint, superuacaneum duxi, in hoc quem nunc edo de Angelis, idem agere, cum vtrique spiritus sint, nihil natura inter se, sed voluntate, & beatitudine differentes, in eo enim ostendi nullum mortalium genus esse, nec vllam religionem vnquam fuisse, quæ eos existere prorsus abnueret, etiam apud gentiles, quibus vera Dei pietas pro æternis rationibus haud respondet, & origine, & proprio crimine, nedum apud Hebreos, quibus diù æterna veritas ob cœlestem gratiam resplenduit; probauerim inquam eos existere saltem propter mundi perfectionem: vbi sine ipsis imperfectior videretur; ne dicam propter nostras necessitates, pro quibus cuncta facta sunt. Qui propterea non latue-

runt philosophos, ne dum Theologos verè Dei sapientes, quibus eos esse, cognitum est ex rerum serie, ac necessitate, & illis ex fide reuelatum, quæ nostra, vt in eodem libro retulimus, scientia perfectior, atquè eminentior est ob eius certitudinem, & quia infusi habitus ijs, quos nostro labore contraximus longè præstant, & excellunt; propterea quod hi nobis à Deo gratis, quasi naturæ instar exhibentur; sed illi proprio studio, & labore acquiruntur. At verò Angelos existere, ex Philosophis alij à vario Cęlorum motu, & alij à specierum conseruatione tantummodo rimati sunt; Verum Theologi altius ex fide cognouerunt, & ex ijs alios Deo assistere, & alios nobis administrare, tandem nobiscum corregnaturos à sacris litteris perceperunt, quos ideò cęlos mouere Philosophus meditatus est, vt tanquã Dei administri in hoc rerum opificio species per indiuidua conseruando ei obsequantur; Quamuis in hac re apprimè discrepent à Theologis, qui hoc factum referunt, quo prædestinatorum numerum expleant, quod licet propria voluntate optent, tamen id charitate magis discupiunt. De eorum autem substantia, quæ immortalitatem ex diuina gratia eos interius conseruante sortitã est (auferas enim spiritum tuũ, & omnia in nihilum reducuntur) iam scribere omittimus, sicuti & de ipsorum creatione, quæ cuncta creata præcessit non tempore, vt nonnulli Græci habent, Deus namque creauit omnia simul, vti ex Sapientia percipitur, sed ordine, & dignitate, ob intellectualem, quã solumodò constant, naturam; sicuti etiam, & de alijs nonnullis rebus, cum in eodem libro de his satis differere visi sumus, quamuis de natura Dęmonum raptim, & per pauca propter eorum amplam naturæ maiestatem: Atque hoc haud iniuria factum existimauimus, quando quidem omnes sunt eiusdem substantiæ, quæ ab

vno

vno eodemque principio profecta, non nisi bona, & perfecta esse possunt: hoc autem principium tantum vnum est, itaut philosophi illud iuremerito omnium rerum tum corporeæ tùm spiritualis naturæ summum Opificem nuncupent, etenim Deus est simplex esse, ab omni non esse quam maximè elongatum, quod maximum, necessarium, & infinitum Ens, primum principiũ primamquè causam, ac per se bonum ijdem asserunt; Quos nimirum spiritus, sic inquam dictos ob eorum incorpoream naturam, nos vna cum Gręcis ex proprio ministerio Angelos appellamus, quoniam Dei iussa interius, & exterius exequuntur, nec dissentiunt Hebræi, qui eos ob eandem causam Malachim appellant. Primùm (vt tradunt Theologi) hi spiritus naturali tantum beatitudine præditi, tum ad supernaturalem felicitatem supra eorum naturæ captum euecti fuerunt, cum eam proprio, vt ferunt, Marte assequi nequirent, postquam scilicet præliati sunt cum dæmonibus, tametsi haud cũcti eã ex æquo ob imparem eorum naturam, atquè inæqualem gratiam assequuti sunt, atquè hanc supernaturalem beatitudinem nostri Theologi essentialem nuncupant; propter verò beneficia, quæ continuè vsque ad nouissima tempora in nos conferunt, accidentariam assequentur, in quo sanè prælio sic adeò steterunt (vbi tamen stare si vellent desuper acceperunt) vt Dei sapientia illustrati in eis elucente, quasi solis radijs diuersa obiecta ferientibus, benè percipiendo quid sibi expetendum esset, quiduè euitandum, summam gloriam, cuius ante nescij erant, gratia, cum qua producti fuerunt, nacti sunt; non enim conuenire videbatur, Deum esse simul, & condentem, & gloriam largientem, vt nonnulli non vulgares Theologi asserunt, ne quod ex gratia habitum sit, ex propria natura haberi videatur; Hanc gratiam gratificantem di-

cunt, qua vel post vnum eorum charitatis actum in tertia, vt alibi retulimus, morula, summoperè, & vndique quam fęlicissimi euaserunt, tam breuitèr propter eorum excellentiorem naturam, & vehementiorem voluntatem; in qua gratia, potiti post pugnam victoria, confirmati confestim hilares, & exultabundi triumphando Cęlum Empyreum gloriæ locum (non enim Deus gloriam retardat) omnes cum adorea ascenderunt; in quo eos neutiquam creatos diximus, atque pro nostra virili comprobare visi sumus in libro de natura dæmonum, quanquam non omnes cum æquali, vti varia fuerunt eorum merita eis ex gratia exhibita, & eorum naturæ correspondente. Quod Cęlum quia vltimum existit omnium corporum maximum est, namquè capacissimum, vt vel minimam beatorum sedem maiorem tota Europa affirmare minimè dubitatum sit, totum splendidum est, totum stabile, locus diuinæ gratiæ, vbi beatorum sedes sunt, vnde tempus, sub quo omnia fluxa existunt, omninò abest, à quo omnis vigor, virtus, & influentia in alios Cęlos, quos naturales appellitant, prouenit. Omitto tanquam parum firmum, quod Cabalistæ de more suo cōminiscuntur decem Dei attributa, sic diuinas emanationes nuncupant, per quas quasi per siphones omnia virtutem accipere narrant. Nec mirum esse debet Empyreum tam lucidum esse cum & ipsum solem â quo cuncta astra lucent præ eo parum splendere cuncti affirment. Ibi clarè percipitur summum bonum, quod aliud quam Deus non est, cui beati semper inhærent, cum tàm immensa lætitia, & exultatione, vt aliud quam illud, in quo nihil deest, cum omnium sit causa, minimè cupiant, nec aliud quidquam nisi, vt eius obsequantur voluntati desiderant; sed nihil mirum, fiunt enim Deiformes ob participatam æternitatem, gloriæ lumine eos supra se eleuan-

uante, quo quicquid optant valdè explent, quod nisi Deum viderent omnium luminum Patrem, & fontem explere nequaquam possent; etenim pars extrà totum non gaudet, nec effectus durat extrà causam longo tempore, quoniam ex eo omnia, vt substantiam, ita & virtutes & operationes sortiti sunt. Quo fit, vt nihil quod eius voluntatem oppugnet, dummodo eam sciuerint, vnquam peregerint, nec peragere valeat, vsque adeò facti sunt post hanc victoriam stabiles, & conformes diuinæ voluntati; sed quid mirandum cum propterea nihil reperiatur, quod non delectet, quin neque quicquam, quod desiderent, deest, non enim esse potest, vt ita firmi, ac stabiles persistant ex propria eorum natura, qua omnes ad vtrumque flectimur, bonum, malumue, sed ex Dei gratia, cuius influentia ita eorum arbitrij potestas perfecta est, vt nullo pacto quod elegerunt, possint non eligere, etenim sic summo bono potiuntur, omnique malo carent. Neque quod omnis creatura sit per se, & corpore, & animo instabilis quicquam inconcinnum, aut absurdum emergit; nam quamuis Deus sit solummodò per se immobilis cui esse, & essentia nihil differunt; quin esse, & operari idem est, proinde omni motu immobilis manens, dat cuncta moueri; quocircà non temere legitur in sacra scriptura apud Moisen, non est Deus vti homo, vt moueatur, & apud Malachiam, ego sum Deus, & non mutor, de quo Iacobus ait, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, sicuti est apud omnes creaturas, quæ tempori aut æuo subiectæ sunt, & quodcumque operantur quadam cum successione attingunt; nihilominus, quod eorum propriæ naturæ non conuenit, habetur ex gratia, qua stabiles facti sunt, cum Deum cognoscant, non tantum vt vnum principium,
ac

ac vnam omnium rerum causam, vti fecerat Adam in statu Innocentiæ, quem vel vltimas rerum qualitates nouisse tradunt, at vt est vnus in essentia, ac trinus in personis, eorum & nostræ beatitudinis obiectum, initium, & finis, & æternum speculum eleuans eorum, nostramque naturam ad obiectum infinitum vsquè, in quo ipsorum, ac nostra felicitas sita est, ad quam intellectili, & rationali creaturæ tantummodo perueni- re gratiâ concessum est, in quo contemplando altius extollimur supra proprias nostras vires, proprium intellectum gloriæ lumine dilatando, refocillandoque, vt varij sunt charitatis gradus, ob quos minor, & maior Dei cognitio, & amor, his, & nobis omnibus succedit, quo quidem lumine omnes beati Deo in vnum vniti, non secundum propriam naturam, sed secundum charitatem, eum vident, non aliter, quam nos mortales Solis radijs Solem cernimus, non tamen superficie tenus vti sensus, sed per penetrationem, modo nihilominus indicibili; & proinde de eius superfaciali, vt Doctores referunt, visione, nequè Angelis, propria eorum virtute, nequè nobis hic aut intelligentia, aut sensus aut phantasia, aut opiniones, aut nomen (hoc enim, cum eò vtimur, si concretum est, diminutè significat, veluti etiam si abstractum, quamuis ex hoc maior Dei notitia elucescat) aut sermo, aut vlla alia, si qua est cognitio, esse potuit, nec esse potest: proinde nemo hanc nostram vitam degens Deum vnquam vidit; sed nihil absurdum cum intelligibilè à sensu abstrahat; est enim Deus ens, inquit Dionysius, melius omni sermone, & omni cognitione satius, collocatum supra omnem naturam, & indeterminatum ab omni alio ente; Quo sequitur cunctos qui rapiuntur ad intellectilem visionem, quæ sensili eminentior, multòq;

perfe-

perfectior est, vsquè adeò extolli, vt non modo sensum sed etiam motum amittant, sicut euenit Moysi, quem cum Deo scriptura loquutum perhibet, & Diuo Paulo, qui id sibi superius datum refert, dum de se ipso diceret, scio hominem, qui raptus vsque ad tertium Cœlum vidit arcana Dei, quæ non licet homini loqui, sed an in corpore, an extrà corpus, se ignorare ait, vidit enim ad tantam diuini luminis influentiam eleuatus, quam per modum transeuntis obtinuit, Patrem; quem (si de Cabelisticis volumus aliquid libare, quod à nostra fide non sit dissentaneum) ipsi significant per hanc vocem Hebraicam Ensoph, principium sine principio, & in Sanctissima Trinitate nō nasci; filium, quem appellant Kochma, dicunt Patrem ab æterno naturæ modo gignere, dum se intelligit, qui omnia vna cum filio libera voluntate (quæ sunt ad extra) cum sibi placuit creauit, ac etiam creat, creaturusque est nostras animas, dum cœli mouebuntur, vt ergo filius à Patre; principium à principio, atque lumen à lumine, ità ab vtroqde quasi ab vno princidio Spiritus Sanctus, quem Binà dicunt, immutabili voluntate procedit, atque totus Pater in filio, & filius totus in Patre, & in vtroque Spiritus Sanctus, vt in vno principio, (vna enim spiratione vterque spirat) procedit enim spirandi facultas ab ipsa natura, proinde aliquid non est quod filius habet, quod sibi Pater non communicet; præterquam esse Patrem, eundemque omnia spiritui sancto communicare vna cum filio: præterquam esse Patrem, & filium; ea propter hi sunt tres Personæ solum personali proprietate distincti, absit ab eis vlla diuisio, vbi omnium sit vna quam sempliciſſima natura, in quibus nihil planè est, quod re differat ab eorum simpliciſſima essentia, vna causa omnium luminum,

a iii quæ

quæ intellectile, imaginarium, ſenſibile, & corporeum ſunt, vnus fons, vnus finis, omnium rerum virtus vna, vna origo, atque vnum ſupereminens initium; in quo videndo, videntes minimè latet diuinam eſſentiam eſſe originem, & noſtram, ac rerum omnium cauſam vt ſuperius innuimus; in quo cognoſcunt, vt & cogniti ſunt, ſed excellentius, quam in proprio genere, vbi corrumpuntur, & cum æterno gaudio, & quiete, neque ex hac re quicquam cenſere, quod abſonum ſit, licitum eſt, vident enim Deum, in quo nihil deeſt, cum Idaeae, & attributa haud ab eſſentia differant, ſunt enim vnum principium & cognoſcendi, & creandi, tũ quo ad formam, tum quo ad materiam, quod nulli Creaturæ datum eſt; vnde euenit, vt omnes, qui ſic Deum vident, præterquam quod minimè habeant volubiles animi cogitationes, clam eis non eſt, quid Deus ſit, cur ſub vna natura tria, & non plura ſuppoſita? cur Cabaliſtæ (ex hoc enim non exorbitant) cum eum innuant ſupra eorum eſſentiam, Iehoua nuncupant? & in eſſentijs Adonai? cur cum fortem El? vbi rerum noſtrarum non indigere Sadai, & quando miſericordem, & bonum Ia? cur id toties in miſſa poſt reſurectionem replicatur? cur alij æternæ dilectioni, & alij æterno odio ſunt obnoxij, cũ õnes ad cõſequendã beatitudinem creati ſimus? quarè alij efficacem gratiam nacti ſunt, & alij ſufficientem dumtaxat? cur hi gratia beati exiſtunt, & hi eorum prauis operibus iuſtè torqueantur?, quo nexu ſtat, vt quod in prima cauſa eſt ineuitabile in ſecunda ſit contingens? quarè filius, Patris ſapientia, hominem ſuppoſitauit, & non Angelum, cum Angelus nobis exiſtat natura ſuperior? quare ſecũda, & non alia perſona incarnata eſt? an quod in eam Adam peccauit? ad quid Angeli præſunt varij in diuer-

ſis

sis Coelis? quid ipsorum dominia tam varia? quid Astra demonstrent, nunc parua, nunc magna apparentia? quid varius planetarum aspectus, & diuersum lumen iam auctum, iam imminutum insinuet? & quid eorum modo tardus, modo velox cursus? qua harmonia sol, & alij planetæ correspondeant animantibus in cunctis membris? ad quid institutum sit leue, ad quid graue, & quomodo tam citò varient temporum vicissitudines? quam virtutem habeant omnes gemmæ, omnis herba, & animal tam à manifesta qualitate, quam à propria substantia? quos etiam non fugit, quid sibi inuicem differant omnes formæ, nec quæ sint rerum vltimæ qualitates, nequè quid earum proprij termini, quibus vna ab altera distat, neque etiam quò cadit auis turbine agitata; quinimò crebro sciunt antequam sint in proprio genere, Dei tamen reuelatione, nostra desideria, ne dicam facta, atquè adeò minimè eos latet cur ipsi destinati sunt: alter vt custodiret prædestinatum, & alter vt præscitum, alter vt sapientem, & alter vt ignarum; hic infimum, & is supremum, vnus paupertimum, & alter ditissimum, quæ omnia velim equidem, diligens lector, ne inconsentanea putes, vbi Deum vident, qui est primus intelligens, primus motor, & æternum speculum, in quo vel nostræ cogitationes, ne dum opera relucent. Qui quidem Angeli licet cuncti diuinæ essentiæ assistant, & absque vllo medio eo fruantur, non tamen sic assistunt, vt eius lumen, quo alios illuminent, per se percipiant, vbi hoc à Dei voluntate procedat, quæ licet aliud non sit, quam propria eius essentia, nihilominus id exhibet, vt vult, varium secundum eorum diuersam naturam nulla in eo mutatione peracta, vt nec fit in solis substantia, qui omnes rerum formas virtute conti-

nens eas omnes educit è gremio materiæ, prætèr nostras, vel proprio calore semina fouendo, vel earum aptando dispositiones; quo fit, vt quamuis cuncti videant totam diuinam essentiam, non tamen cuncti statim percipiunt quæcumquè Deus mandat, sed ex ordine, vt sibi placet, & iuxta eorum naturam, quoniam semper prima Hierarchia cognoscit priùs, & excellentius, quam secunda, & tertia, atque melius callet leges, quibus Deus mundum gubernat; quo fit vt qui Deo propinquiores sunt, nō loco, cū vbique Deus sit, essentia, presentia, & potestate, sed dignitatis, honorisque gradibus, prioraque mandata suscipiunt, quæ alijs impartiuntur, ac maiora cognoscunt misteria, quæ ad electos disponendos attinent, quam inferiores. Diuisi ergò sunt Angeli in tres Hierarchias, ac in nouem Choros, miro quodam arcano distincti; quem numerum, quippe omni perfectione completum, sacrum Pytagorici dixerunt, ad quos Angelos peruenisse post eorum confirmationem, vel ex ipsarum nomine percipitur; denotat enim sacros Principatus, & propterea Dæmones nunquam in has asciti fuerunt, quamquam ex his, alij alijs natura præstarent, ex quibus qui primæ Hierarchiæ sunt, quos supra mundanos nuncupant, & in diuina contemplatione persistunt, à Dionysio in eius vestibulo collocati, vulgo Seraphim dicuntur, quod extemplo subsequuntur Cherubim, & hos Throni, qui omnes sine medio Deo assistentes semper alios illuminant, perficiuntquè, sed qui secundæ sunt cuius proprium est illuminare priorem locum obtinent Dominationes, secundum qui Potestates, & tertium qui Principatus nominantur, sed in tertia Hierarchia, ad quam purgare spectat, astant in primo loco Virtutes, in secundo Archangeli, in tertio Angeli;

li; in quibus collocandis nihil me fugit admodum dissentire D. Gregorium à *Sancto Dionysio*, cum alter collocet in priori loco tertiæ Hierarchiæ Virtutes, & alter assignet in secunda Hierarchia Principatus inter Dominationes, & Potestates; verum si eorum nomina bifariam consideraueris, scilicèt vel secundum spiritales perfectiones, quas recipiunt, vel secundum diuina ministeria quæ exercent nihil in his dissensionis reperies; quoniam Dionysius in eis assignandis priorem modum secutus est, & Gregorius posteriorem, vterque Apostolum imitatus, qui ascendendo ait ad Ephesios super omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem; & ad Collossenses descendendò, inquit, siue Dominationes, siuè Principatus, siuè Virtutes: Quas profecto Hierarchias non minus differre volunt vnam ab altera naturæ præstantia, quam nostrum intellectum ab vltimo Angelorum choro, atquè in his appellantur, non absque diuino secreto, Angeli triplici linguarum genere diuersi, diuersisque nominibus, quemadmodum peractum est in Sanctæ Crucis titulo hebraice, græce, & latine; is enim numerus impar perfectus est, ac in omnibus rebus reperitur non sinè mysterio, Adde quod in his tribus linguis vera Dei, vt alibi diximus, floruit Religio, rerum naturalium perfecta scientia excelluit; & totius terrarum Orbis imperij summa maximaque viguit potestas; in quibus scilicet singulis elucet Deus trinus in personis, & vnus in essentia, virtute, & operatione, vti in vnitate Hierarchiæ diuinæ essentiæ vnitas; & tripartito ordine claret personarum trinitas, quæ omnia operatur vt sibi lubet, amat enim in Seraphim vti charitas, nouit in Cherubim tanquam veritas, & in Thronis sedet

ceu æquitas; dominatur ficuti maieftas in Dominationibus, præfidet in Poteftatibus vti fortitudo, & regit in Principatibus veluti dominium, tuetur in Virtutibus perinde ac vigor, in Archangelis reuelat quafi lux, & in Angelis præeft ficut pietas. Veruntamen in prima Hierarchia poteftas in Thronis refertur ad Patrem, veritatis cognitio in Cherubim ad Filium, & amoris ardor ad Spiritum Sanctum in Seraphim. Quibus hæc nomina indita funt non ex propria ipforum natura, fed ex officio, quod per gratiam confecuti funt: & propterea hoc nomen Seraphim, quo Angeli fummæ charitatis exceffu ardentes denominantur, demonftrat grande, & continuum defiderium ob magn um in Deum amorem habentium, quo nos mortales ad Deum conuertamur, & in ipfo viuamus; veluti hoc nomen Cherubim, quod aliud quam auctos non refonat, nihil aliud oftendit, quam fcientiæ diuinæ plenitudinem, cuius effentiam, ac diuinam pulchritudinem vtique contemplando iugiter inferioribus exoptant, vtque par eft difcupiunt: vti hæc græca vox Throni in quibus Deus inhabitat, nihil aliud innuit quam diuina folia. Qui planè omnes coram Deo affiftentes eiufdem ineffabilem virtutem, admirandumque iudiciorum ordinem alijs continenter exercendo indicunt, ac quafi approbantes promulgant: Hæc omnia in ipfis, quia accidentaria funt, varia reperiuntur, quam varietatem fic de Deo cogitare, ne dicam dicere piaculum eft, cum in eo bonitas aliud non fit ab effentia, neque ab ea diuerfum fapientia, neque ab eadem poteftas varium, nam quæcumque Deo afcribuntur non ipfum vt verè eft exprimunt, fed vt nos ipfi per ea intelligimus, eft enim Deus actus fimpliciffimus nulli potentiæ admixtus, vnde fit, vt

om-

omnia eius attributa, quæ ex cognitis perfectionibus creaturarum in Deo cognoſcimus, vel quemadmodum Cabaliſtæ inquiunt, veſtimenta non Deum, vt ipſi dicunt, nudum, vti in ſe eſt referunt, ſed his, vt non eſt, indumentis ornatum, omnia enim accidentia, quinimo omnes Creaturæ ad infinitum vſque à Creatore diſtant; quamobrem cum dicimus Deum bonum, ſapientem, & perfectum, atque hoc genus ſeptuaginta duo nomina, tot namque eorum ſecreta arte ex quibuſdam in exodo verſiculis, pia quadam contemplatione eliciunt, qui magna ſecreta tractarunt, tunc Deum bonitatem, ſapientiam, & perfectionem, ac etiam reliqua omnia creaturis vt authorem impartientem, earumque conſeruatorem agnoſcimus, non tamen quod omnino his perfectionibus careat, cum hæc & omnia alia ſupereminenter habeat, ex quo euenit, vt Angeli non ita ſibi hæc nomina aſciuerint, quaſi ita ſint in Deo, vt in ipſis, ſed vt ſignificant prò eorum intellectus imbecillitate, qui hoc modo Dei actum diſtinguit, vt ad diuerſa obiecta terminatur, non ſecus, quam Solis radij ſenſibilia ferientes dicuntur colorati, cum terminantur ad diuerſos colores, dum lucidi exiſtunt, hinc priores Angeli nuncupantur Seraphim, quoniam eorum actus terminatur in Dei cognitione ad eius bonitatem; in his Deus ſtat vti charitas, non aliter quam res vocantur calidæ, cum Sol terminatur ad calorem; verum Angeli ſecundi ordinis, in quibus Deus ſedet tanquam veritas appellantur Cherubim, propterea quod eorũ actus terminatur ad Dei ſcientiam, ſicuti res fulgidæ, cum lux terminatur ad fulgorem, atque idem ſentiendum eſt de alijs primæ Hierarchiæ, quorum vltimi, vbi Deus ſtat ſicut æquitas, vocantur Throni non ſine

cauſa,

causa, eorum enim actiones terminantur ad potestatem, vti naturales efficaces, cum sol terminatur ad influxum. At primi secundæ Hierarchiæ appellantur Dominationes, quoniam altiori, & ampliori dominio præpotentes omnique libertate exultantes stupendum diuinæ prouidentiæ ordinem in causis vniuersalioribus eminentius agnoscendo, alijs inferioribus, quasi per capita demandant, Deus etenim sedet in his veluti maiestas, quem certè ordinem, qui Potestates nominantur, ob diuinam fortitudinem, in inferioribus multiplicant, & prò eorum captu variant, quamobrem, qui Principatus dicuntur, obseruant in cunctis rebus stabilem, & inconcussum ordinem. Verum tertiæ Hierarchiæ priores, qui appellantur Virtutes, ea dirigunt diuinæ prouidentiæ, quæ nullis verbis, nec etiam imaginatione exprimi possunt, in naturis inferioribus, & in particularibus causis, quæ ad nos pertinent, nostrumque in vsum succedunt, hac tamen cum differentia, quod hi curam tantum gerunt de rebus supremis, & communibus, vtique ea intendunt, quæ attinent ad Regna, Prouincias, Regiones, & Vrbes, atque etiam Religiones, sed qui Archangeli nuncupantur, per quos Deus quasi lux secreta reuelat, ea bona tractant, quæ magis particularia sunt, & non modo ad particulares spectant, sed etiam ad quoscumque alios hoc genus homines; sed tamen qui postremi, & proprio nomine Angeli appellitantur, in quibus Deus adest, veluti pietas, illa tantum bona curant, quæ vniuscuiusque propria sunt, & solum ad singulos faciunt, ex quibus sanè omnibus, qui propriam sibi nomenclaturam inter se diuersam consequuti sunt ab aliqua eorum virtute, nunquam non præstant primi omni perfectione cun-

ctis

ctis inferioribus, continent enim superiores omnem inferiorum præstantiam perfectius, & excellentius, & ideo Seraphim, itaut diximus, nuncupati, ob intensum quo Deo vniuntur amorem, cognoscunt latius diuina arcana, occultaque mysteria, quam Cherubim, qui hoc nomen sibi assumpserunt ex maxima eorum scientia, qua alios vberrimè afficiunt, diuersam ab illis, quanquam amor, qui non potest non procedere à præcognito, præstet multo magis scientiæ, quæ consistit in intellectu, propter eius libertatem, ob quam nos verè rationales nuncupari possumus, quibus sola voluntas libera est, in qua nostram beatitudinem, vt in fine consistere atquè expleri Theologi inficias non eunt, & si ab intellectu incipiat, quamobrem nec his, nec nobis, ea quicquam melius reperitur, nec præstantius, cum propter eam à brutis animalibus, quæ voluntate minimè mouentur, summopere distemus, Deoque assimilemur, qui mundum non natura ab æterno, quasi per emanationem produxit, vt non ritè Philosophus meditatus est, sed in tempore, liberrima tamen voluntate, vt sic nos agnoscentes maiori eum amandi, atque colendi desiderio rapiamur, non tamen eum produxit motu vero, & continuo, qui à Cœli motu prouenit, sed imaginario, vbi mobile motori nihil in creatione repugnat, cum in producendo proruperit, vbi sibi placuit absque motu, secundum ordinem, quem habebat in Archetypo; sed vt ad rem, è qua digressi sumus, redeamus, cæteri Angelorũ ordines diuersa obtinuerunt nomina, vt Throni diuersum ab vtrisque scilicet Seraphim, & Cherubim ob iudiciorum ordinem, vt Dominationes secundæ Hierarchiæ, quæ ita vocantur, quoniam quę de diuinis rebus agendis, à suis superio-

perioribus suscipiunt, alijs iniungendi libertatem habent, vt Potestates, quod ea quæ superiores in inferiores influunt, sursum ducendi facultatem obtinentes, vtique dirigunt, ordinantque; sicuti, & Principatus, quòd verè Principes sint in rebus, quas in inferioribus fieri discupiunt. Cæterum Virtutes spiritus scilicet primi tertiæ Hierarchiæ, qui ab alijs illuminati nos solummodò purgant, ideo hoc pacto nuncupantur, quod intrepidi magna virtute, qua pollent, diuina iussa peragenda capessunt, ac hilari animo exequuntur, vt Archangeli quod Angelis præsidentes ea denuntiant, quæ magni momenti sunt, sicuti vltimi vocantur Angeli, quod nostræ custodiæ demissi propria vniuscuiusque, quem custodiunt, dumtaxat curant; atque ex his omnibus Hierarchijs semper ferè inferiores nobis cuncta ministrant, quæ ad nostram salutem faciunt; sunt enim omnes administratorij spiritus pro prædestinatorum numero explendo nobis potissimum destinati. Ex quibus qui coram Deo propius, atque intimius assistit, vna forma intelligit quem Cabalistæ nuncupant, non absque secreto, facierum Principem, nec temere, nam Angeli sunt omnes quasi Dei vultus, in quibus relucet diuina essentia, sed non ex æquo propter varias, ac diuersas eorum formas, vti nec Sol percutiens diuersa obiecta, quamobrem perperam imaginantur Hæbrei cunctos Angelos esse eiusdem speciei, quoniam si sic foret, omnes susciperent diuinæ essentiæ æquales radios, omnes vnam tantum linguam haberent, quod haud ita esse vel ex ipsorum præmijs ostenditur, quæ eis data sunt ex gratia, & hæc secundum propriam naturam, quemadmodum dæmonibus pænæ variæ inflictæ prò eorum maiori natura, & culpa; nec profectò res mi-

randa

randa cum excellentior substantia vehementiorem voluntatem causet, iuxta quam hi obtinuerunt, gratia nihilominus præcedente, maiora præmia, vt illis propria culpa atrociora tormenta; quibus singulis inæqualitates à proprijs formis successisse tam obnixè Thomistæ inhærent, vt id prò comperto habeant; enituntur enim cunctis viribus, Angelos nullo pacto alia re differre posse, cùm materia careant, quam à propria forma, in qua nimirum re, quantum à Scotistis discrepent, nemo est Theologorum, qui id ignoret, qui obnixè, & acriter repellunt hanc opinionem, asserendo nihil dedecere, dari in vna spirituali specie plura indiuidua, cum nec in aliqua materiali tantum vnum; nec certè sine causa, quandoquidem si hoc, quod illi dicunt, verum foret, tot modi Deum cognoscendi, totidemquè eum laudandi in Cœlo deessent, quot, & qui ceciderunt Angeli, quinimo præstantissimus modus deesset, quem exercebat Lucifer primus omnium substantia excellentissimus, qui suos complicibus animos inserens æui mensuram amisit, ac propiorem penes Deum locum, ad quem, si stetisset, denique peruentus fuisset, quem Ioannem Baptistam assequutum fuisse opinio est, & non Beatam Virginem Dei matrem, quæ supra omnes Angelos eleuata est in Cæli empyrei euexa superficie, suprà quam aliqui Greci à Pilosopho recedendo, qui tenuit suprà Cęlum nihil esse, imaginati sunt infinitum spatium, quod D. Augustinus deformitatem nuncupare videtur, vbi in toto Deus sua existens essentia infinitos mundos creare posset, atque eum locum, ad quem Satanas propria spontè peruenire conatus fuerat, Christum Dominum nostrum, qui factus est, & hominum, & Angelorum vnum Caput, multò melius consequutum

fuisse volunt, ob quem propterea, & nos salui facti sumus, & Angeli maiorem fęlicitatem assequuti sunt; ex eo namquè omnia peculiari gaudio afficiũtur; quoniam eius respectu Deus summam gratiam creaturis ostendit, quod adeo clarum est, vt & Thalmudistæ haud inficientur, dum asserunt Deum optimum maximum omnia condidisse propter Messiam, à quorum profecto sententia nec nostri Theologi dissentire videntur, dum referunt omnem gratiam, quæ hic conceditur, omnemque gloriam, quæ in Cęlo est, & Angelis, & beatis omnibus, per eum, ceu per Solem lucem astris, exhiberi: Cæterum, vt oratio ad suum vnde digressa est curriculum redeat, libenter referam, omnes Angelos, qui alijs sunt præstantiores paucioribus formis intelligere, ac perfectius operari ob maiorem eorum virtutem, quæ propriam substantiam consequitur, & tamen inferiores alloquuturi, vt pluribus formis vtantur, indigent, vti clarius infra ostendetur, non aliter atquè opus habet magister altiori ingenio & doctrina præditus plura verba faciendi, vt rudes discipuli intelligant, & pleraque exempla ob oculos offerendi, quod Dionysius perspicuè demonstrat dicens, vnaquęque intellectualis substantia datam sibi à diuiniori vniformem intelligentiam propria virtute diuidit, & multiplicat ad inferiores, sursum ductrice analogia, etenim Deus tantùm est, qui Creaturas supereminenter confortando eleuat, vt seipsum in propria essentia videant, ob quam semper magno animi gaudio vtique fruendo beantur, non enim eis beatis aliquid succedit, neque etiam succedere potest, quod in fine nolint, licet omnes signi, vt scholastici aiunt, voluntatem perfici discupiant, non propterea aliquid, ni succedat, tristantur, persistunt enim sem-

ſemper in diuinis placitis: idcircò nunquam ab eis præceptis recedunt: Beati enim ſunt abſque vlla ſenſus imaginatione, qua rarò veritas non offuſcatur, veluti nobis ſæpe euenit, qui quòd ratione veritatem ſcrutamur, aſſiduè eam non attingimus, vnde frequenter, quod nolumus id ſentimus, & quod noſtris oculis patet, vt plurimum ignoramus. Verumtamen ne aliquid ſit, quod in hac re deſiderari videatur, referam non nihil de illorum illuminatione quam hoc modo Theologi diſtribui ferunt. Angeli qui primæ Hierarchiæ priores sũt, quoniã Deo magis propinqui, eam ſuſcipiunt ante alios, exinde, qui ſecundæ ſunt, & poſtremo qui tertiæ, quorum illuminatio exhibebitur vſquè ad nouiſſima tempora, quæ licet hoc modo defecerit, non deficiet eius continuatio; ordo namq; non ceſſabit, nec eos amplius his, quæ dicta ſunt, nominibus vocari neceſſe erit, erit namque Deus omnia in omnibus: eaq; aliud in præſentia certè nõ eſt, quam æternæ voluntatis temporanea reuelatio de Diuinis præceptionibus, quæ ad noſtram ſalutem acquirendam ſpectant, vt ſibi Altiſſimo cordi eſt, qui cuncta fortiter ordinat, & ſuauiter dirigit, & quod ab æterno meditatus eſt quaſi lyram perſonando in tempore reuelat, quam licet hi antea neſcirent, non propterea vlla ſciendi ſollicitudine angebantur, veluti nos, quos numquam rerum ignorantia non defatigat, & cruciat, cum à peccato eueniat: etenim Beati Deum vident, qui eſt ſummum bonum, ex quo eius voluntati vtique conformes exiſtentes, haud minus ob contrarios euentus inhærent, cum propterea nihil eis deſit, quod ad propriam eorum beatitudinem faciat; In qua quidem re Platonem, qui noſtram ignorantiã materiæ tantum aſcripſit, errare facile percipimus,

dum opinatur animas in corporibus, quasi in ergastulis detentas, rerum naturalium scientia, ceu leones in fouea viribus, priuari, cum animarum vnio cum corporibus uon processit à pænarum statu, vt Origenes à Platonicis deceptus falsò censebat, redundat enim ex hac vnione homo, diuinum animal, & corpore, & anima; quæ quoniam à materiæ gremio non educitur, sed de foris infunditur, à Deo ex nihilo creata, falsum reddere videtur, quod Philosophus inquit, animas esse in principio tanquam tabulam rasam, cum quæ Deus creat, perfectè actu creat, vti non foret, si eam crearet ad intelligendum solummodò in potentia. Verum quod nunc actu nesciat, id ei euenire dicerē à peccato, quo in nobis Dei imago circà operationes, non parum deturpata est ablata innocentia, vnde intellectus ignorantia percussus est, & voluntas infirmata ad benè operandum; sed magis quam intellectus, vndè forsan succedit, vt vtroque pane vesci indigeamus in nostri vultus sudore, & intellectili scilicet & corporeo, quo verè viuamus, quamobrem à pænarum statu nobis contingere inquiunt Scotistæ, vt sic nos in labore per phantasmata addiscamus, & non ab ipsa natura; cum prò rerum ordine necessum sit, vt quod inferius est à superiori subijciatur, & non è conuerso, vti modo fit in addiscendo, quia forsan erat Adæ concedendum, ni peccaret, & nobis omnibus, dum scientiam ab experimento nuncupatam, experiremur secus, quam in præsentiarum agitur: Ad quam profectò rem, non solum Platonis opinio, sed ipsa ratio me impellit, dum considero nostrum primum parentem haud perdidisse hanc scientiam quippe naturalem post peccatum, vbi omnia gratuita perdiderit, atquè Christo nostro Saluatori natura impeccabili,

bili, eam vt homini non defuisse; crescebat enim, & proficiebat ætate, neque etiam defuturam infantibus existentibus in lymbo, qui in rebus naturalibus ampliorem scientiam habebunt, quam habuerunt cuncti Philosophi. Cœterum reuertor ad illuminationem, à qua sum digressus, eamque dicam non esse diuinæ essentiæ, sed diuinarum præceptionum, quæ his Angelis, qui diuini nominantur, ante alios omnes à Deo infunditur; in cuius potestate semper est nouam infundendi, quam exinde hi ad inferiores effundunt, non aliter quam Sol lumen ad diuersa specula vnum sub alio supposita, neque ex hac re quicquam consequi videtur, quod à rerum ordine exorbitet, cum formæ ritè dispositis in puncto introducantur, de quibus per quam pulchrè Dionysius refert, primam cælestium Hierarchiarum ab excellentissimis essentijs sanctificari, ordinem habentem omnibus altiorem, quæ postea diuersimodè eis relucet propter diuersam eorum naturam, non secus, quam ob varia obiecta Solis lux, in qua suscipienda, qui non ita pollent, refocillantur à superioribus, non aliter atquè animo imbecilles à robustiori viro velociter accurrente ad se tuendos grandi oppressi infortunio, neque id tibi tam arduum apparere debet, vt nullo pacto esse possit, quo hæc superiorum conuersio inferiores refocillet, vbi spiritus sint, cum hi laborare quodammodo videantur ex superdditis eorum essentiæ dispositionibus propter eorum diuersam virtutem. Ad quam profectò rem philosophi allusisse apparent, dum aiunt intelligentias per seipsas Cælos mouere, sed quod perpetuo moueant, vti falso cogitabant, virtutem à Deo suscipere. Atquè quod hæc illuminatio irradians in priori statu per eos, qui non temporis, inquiunt, sed



na-

naturæ sunt superiores, acutum in inferioribus eniteat, patet per Dionysium, dum ait cælestem & superiorem essentiam traditam sibi Intelligentiam subito alijs communicare, non enim eis euenit, vti nobis, quibus propter originis errorem sæpe numero, qui alijs præstant illuminantur ab inferioribus; quod ideò succedit, quòd qui illuminantur superiorum ordinem minimè participant ob inferiorem naturam, quæ semper in superioribus fulget eminentior, atquè perfectior, quam in inferioribus, quasi lux in leuiori speculo, non quod hæc in se varia, diuersaquè sit; cum diuina essentia existat oriens omnibus, supererecta, cui vllam mutationem ascribere, Philosophi, ne dicam Theologi piaculum asseruerunt, sed quoniam non vno eodemque modo hanc illuminationem Angeli suscipiunt, iterum nobis enucleandum est, prò nostra tamen virili, quibus modis distribuatur: Illuminantur igitur omnes coram Deo assistentes de his rebus, quæ ad naturam, gratiam, ac gloriam spectant, sed diuersimodè, nam qui primæ Hierarchiæ priores sunt alijs lumen manifestant, non quasi tradentes, at vt confortantes, quod quidem non omnes æqualiter suscipiunt, tum ob eorum inæqualem naturam, tum quod à Deo exhibetur, cuius voluntas est rerum norma, quo suscepto, protinus magna animi exultatione, ac vehementi gaudio, ad Deum sese conuertunt, maximas ei gratias de tanto beneficio, quod in se ipsos collocatum sentiunt, seseque humiliando, cum magno silentio laudant, atquè hanc illuminationem Dionysius circularem vocat, vti rectam, eam, quam transfundunt ad inferiores, & obliquam, cum illuminatis inferioribus ad Deum conuersi persistunt, qui maiori participatione affecti, ac vehementiori

læti-

lætitia dispositi magnopere Deum laudant, quæ sanè illuminatio quamuis in se immutabilis sit, suscipientes tamen mutat, vti agunt omnia diuina: hoc autem modo & ordine transfundi solet. Seraphim, qui primæ Hierarchiæ sunt, ac primi chori, cum primùm hanc illuminationem assequuntur, confestim illuminat priores secundæ Hierarchiæ primi Chori, atque hi statim, qui tertiæ & primi Chori, & sic deinceps obseruatur in omnibus Hierarchijs, vbi inferiores vtique purgantur, & perficiuntur, ex quibus qui superiores sunt appellantur à Dionysio intelligibiles, vt illuminati intellectuales, atque hunc ferè ordinem in effundendo hoc diuino lumine obseruari vsurpatum est, vt non succedit nobis, quibus propter peccatum ordo peruersus est, & in regimine, & in reuelatione, quo euenit, vt sæpè boni moneantur à malis, & sapientes à stultis dirigantur. Verum haud equidem inficiabor, dummodo mihi permittatur, hanc illuminationis tradendi legem interdum solui, ne dicam posse, vt præstantiores ità lumen suscipiant, vt non subito, sed stato tempore inferioribus id effundant, non secus ac faciunt apud nos magni Principes, qui nonnunquam ita suos animos primatibus manifestant, vt non statim alijs aperiant, sed vt sibi iniungunt, quod profectò quid sit propter quod esse nequeat, (cum ordinis exceptio, ac dispensatio ordinem confirment) non video, & idcircò potius optarem in hac re esse discipulus, quam magister, si quidem hæc illuminatio non prouenit à causis naturalibus, in quibus quod præstat non potest non agere in inferius, sed à Deo, cui hanc tradere & eo modo, quo vult semper sibi in manu est, non enim alium, quam se ipsum, suiq; finē prostituit, nec quod ipse agit est contrà naturam, cū

na-

naturæ sit dominus; quod sic esse vel ex hac re patefit; Christi enim passio latuit plerosque Angelos, donec ipse Cælos ascenderit, quæ tamen prestantiores minimè latebat, vt perspicuum est ex Angelo eum confortante: Atquè hanc illuminationem sæpe Deus pandit in Cœlo empyreo; potissimum cum tractatur de rebus maximi momenti ob ordinem, etenim locata locis correspondere debent, & non ob aliquam aliam difficultatem, cum Deus vi propriæ essentiæ operans, vbique reuelare quiret, nulla namque loci distantia ei impedimento est, quoniam diuina maiestas omnia adimplet, neque Angeli illuminando, cum spiritus sint, vlla spatij quantitate impediri possunt, nec etiam sibi inuicem colloquendo, cum eorum loquela aliud non sit, quam proprij conceptus repræsentatio, quæ intellectilis existens minimè à distantia impeditur, sicuti nec à superiori intelligentia ipsis nolentibus, cum in his rebus consistat, quas propria spontè alij manifestare, & bonis, & malis semper sibi integrũ est, alitèr quam agitur de illuminatione, quæ cum à Deo sit, bonis tantum, vt Deo placet, manifestatur propter eius perfectionem, qua Dæmones non queunt non carere ob eorum iniquitatem, & malitiam, neque propter hoc Angelorum cum Dæmonibus colloquium prouenit aliquod extrà ordinem, ex eo enim succedit nostrum exercitium, vt alibi dicemus; & tamen hi colloquendo per propriam essentiam non illabuntur, cum id Dei tantummodo proprium sit, sed eorum conceptus alijs imprimunt, quos, quãdiù in se ipsis retinẽt, alios latere necesse est, & proinde cũ colloqui volunt, quadam conuersione vtuntur, quæ eis valet vti nobis vox; quam conuersionem percipiunt à specierum motu, quarum ope nihil est quod

pro-

propterea eos fugiat; per quas vel eorum indiuidua omnia præterita, & extantia cognoscunt, vnde prouenit, vt penes eos non sit vna lingua, sed plures propter diuersas formas, vti satis perspicue percipitur ex Apostoli authoritate, dum exprimit si hominum linguis loquar, & Angelorum, has Theologi asseuerant aliud non esse, quam quandam virtutem, qua vnus alteri suum conceptum patefacit per plures, aut pauciores species, vt sunt præstantiori natura, sed cum hac differentia, quod superior inferiorem alloquens inferioris lingua vti potest, sed non è conuerso, cum inferior pluribus, quàm speciebus superior opus habeat, in quorum colloquio sępe actum, sępe speciem, sępe vtrumque excitant, quod cum intellectile sit, verborum diuersitatem, quæ sensu percipitur, non continet; nec refert, quod interdum clamare secum colloquendo dicantur, id enim dicitur non propter sensum, sed propter rei magnitudinem, quocirca cuiuscumque ordinis existant, nihil sibi negotij est in vno eodemque temporis momento, vel de vna re, vel de pluribus loqui, quamuis superior id suo inferiori breuius peragere valeat ob vniuersaliores species; Cæterum nobiscum loquendo, corpus assumunt nostroque idiomate vtuntur, quo & in somno, & in vigilia vti solent, licet frequentius id agant nocte maximè intempesta, ob clariora phantasmata, cum dormientes grauioribus exhalationibus oppressi non iaceant, aut quod tunc Dæmones non sic præualeant propter Solem ad nos appropinquantem, quo iam tunc non abs re Hebrei inchoarunt eorum diem, & Virgo certior facta est ab Angelo de Verbi incarnatione, & Christus nostra resurrectio propria sponte corpus suscipiens resurrexit. Qui quidem Angeli si non semper

excitant phantasmata purgatiora, vt facile intelligantur, in causa non sunt, quemadmodū ratus est Simonides referens nobis immitti oracula obscura Deorum inuidia, cum nihil agant absque charitate, vt nec si frequentèr quod intendunt non succedit, sed dormitantium oscitantia, & socordia, nec non & Dæmonū technę, & fraudes in causa sunt, perinde ac Iudæorū peccata ansa erant, vt Christus non apertè os suum aperiret sed in parabolis; at nihil mirum, cum Philosophus tradat quidquid recipitur recipi recipiẽtis more; tuncque Angeli hallucinari dicendi non sunt, licet non succedat effectus, egerunt enim quod potuerunt, ita sese adaptando, vt par erat; & proinde cum rerum successus eorum desiderio non respondet, minimè tristantur, etenim Deo in euentis semper inhærent; Verum vbi in somnis loquuntur, quod raro contingit, nisi personis publicis, atque magnatibus, semper phantasmata melius purgant, quam intellectus agens; etenim intellectum imprimunt (quod Dæmones qua sunt iniquitate nequeunt: proinde maxima cum astutia somnia multiplicant) vt percipere queat, quibusdam rerum simulachris certos euentus indicantibus, alioquin enim diuinus radius haud illuminaret, quod Pythagoras non ignorans cibi abstinentia, dum optaret aliquid sibi in somnis reuelari, ac lyræ cantu accubitum pergebat, non enim cum fugiebat exhalationibus impeditos sic somnia suscipere, vt qui imagines sub tremula aqua eam Solis radiis ferientibus suscipiunt. Quocirca Eliseus psaltem petiit, vt attentior euadens in maiorem prophetandi excessum raperetur, sciebat namque spiritus cantu, ceù næniis vagientes infantes quiescere ab omni animi perturbatione. Atque etiam ex signis
corum

eorum conceptus exhibent, quæ suscipiunt, quasi è literis hieroglyphicis, vt suscepit Adam ex Agni pelle post peccatum, ne tanto crimine desperaret, & Noe ex Columba ramum viridis oliuæ afferente, & Ezechiel ex quatuor rotis, ventorumque turbinibus. At vbi sensibili voce loquuntur hominis formam assumunt, sed venustiorem, vt eorum est animus, vel effectus quem intendunt, tùmquè eorum, quos alloquuntur, vocabulis vtuntur; non enim est vllum linguarum genus, quod clam eis sit, quinimò hæ linguæ, quæ nobis in pœnis succesſère Gigantum superbia ob turris molitionem prius illuxerunt in eis, quam in ipsis; quandoquidem quæcumquè à Deo effluunt, dummodo gratuita non sint, prius relucent in Angelis, quam in proprio genère. Verumtamen si hi, cum quibus colloquuntur linguam callent, hebraicam, qua Adam rerum nomina indidit, ac in Patria remansuram aiunt, ea vtuntur ob innocentiae statum; ex quorum colloquio sæpe sub eorum nomine materia ostenditur de qua agitur, vt claret ex hoc nomine Raphael, quod Dei medelam significat, qui comitatus est Tobiam ad Ragem vsque, & Michael, quod diuinam potestatem ostendit, qui cum dracone præliatus est, & Gabriel, qui salutem dicturus ad Virginem accessit, quandam Dei virtutem præsefert. Addunt Hæbraei Angelum illum, qui expulit Adam è Paradiso voluptatis, quem nuncupant Vriel, quod nomen iuxta eorum interpretationem iustitiam Dei denotat. Quos omnes sub humana specie locutos narrant non ad suppositum, sed ad officium; quam quidem formam nunc alacrius assumunt ob Christum incarnatũ, propter cuius rationem iam à nobis adorari non permittunt, vt faciebant olim in veteri testamento;

quam cum ostendunt, corpus suscipiunt, non sicuti habent Græci, Arabes, & nonnulli Latini, qui eos haud priuant quibusdam corporibus per quam tenuibus, & proinde cum sic apparent, aut ex aere corpus assumunt, vt est communis Theologorum opinio, aut ex ęthere, vt sentit Anselmus, aut ex mixtis vti tenent, qui Scotum sectantur, ex hisce enim rebus Angelos corpora assumere tantũ à plerisq; asseritur, & non à Terra, vel ab Aqua, nè à nostris oculis euanescendo Dæmonum technæ apertè apparerent; tùnc toti in toto, ac in qualibet parte totius existunt; sed secus faciunt, cum corpus suscipiunt, vt solum moueant, quoniam tunc vel in extremo existunt, vel in medio in vno tantum loco versantur, de qua quidem re, ne quid amplius desideretur, dicam inferius; sed nunc vt aliquantulum tractem de eorum cognitione, enucleabo non illibentèr hanc duplicem esse, vespertinam, atque matutinam, quarum prima sic dicta videtur, quod ex proprijs idæis seu speciebus emanans est subobscura, quoniam ex hoc non omnes formæ vnico actu intelliguntur, sed cum quadam eorum successione, iam vna, iam altera, vt sibi lubet, sed diuersimodè prò diuersa eorum natura; semper enim cognoscendo, per species cognoscunt cuncta eorum indiuidua, & accidentia, & præsentia, & elapsa, quæ cognitio cum sit rerum naturalium, est bonis, malisquè communis, nec mira res, etenim qui speculum videt, & imagines videt in eò relucentes, tùmquè eorum actiones; quia totæ simul oriuntur, tempore discreto mensurantur, vti non Cœli motus, sed eorum intellectus præscribit momenta, horas, dies, hebdomadas, menses, & annos. Verum altera cognitio quæ matutina dicitur, est suprà earum

naturam; per eam enim vident omnia in Verbo vnico intuitu, omniquè æuo fruuntur, æternitate sibi impartita, quæ tota simul possessio est, suprà omne tempus, id tamen non excludens, vt nec punctus circulum, cui vbiquè opponitur, dum ingirum vertitur; cuius mensura, & quod mensuratur Deus est, qui vndique infinitus existens nullo clauditur termino, primum rerum omnium initium, primaque omnis substantia. Sed vt ad explicandum redeam quod reliquum est de Angelis, referam quasi semper esse vsurpatum, mitti inferiores; quamuis non denegauerim interdum aliter actum, ne dicam posse, vti clarè demonstratur ex Angelo, qui accessit ad B. Virginem salutem dicturus, quem nullo pacto ex inferioribus esse decebat ob tantum, quod manifestaret mysterium, in quo Deus nobiscum, vt optimus, sese communicauit, facta est enim Dei Mater ex Virgine ante, & post partum, & ex Ancilla Domina: mirabile atquè stupendum Sacramentum, Iudæis scandalum, gentibus ignoratio, solum Christianis Dei virtus, quod ipsa iustificatione præstantius est, & mundi creatione eminentius: Quod etiam claret ex altero Angelo Christum in horto alloquente, atquè exterius eum hortante; nequè enim interius poterant ab Angelo immediatè anima Christi, eiusque potentiæ excitari, sicut nequè tentari, nisi vt ait D. Gregorius per externam suggestionem, quem ex præstantioribus esse conueniebat, ob eius quem hortabatur respectum; eoque magis, quod eius sensibili obiecto refocillatus est, viribus ità lassus proptèr eius passionem in vnica sibi imagine ostensam, vt sanguinem quasi aquam effunderet, vnde Angelus propriũ corpus sibi assũpsit, quo Christus adeò recreatus est, vt du-

durissimam mortem sustinens, & nobis salutem abundantius mereretur, & sibi nomen super omne nomen cõpararet. Adde quod eũ esse ex superioribus cõueniens erat, vt ex eo sufficiens virtus efflueret, altior nãq; causa altiorem causat effectum, & mala prohibendo, & quæ prodest, virtutem procurando: alioquin cum nulla tunc temporis in Christo redundantia superiorum partium ad inferiores emanaret, qua confortarentur, vt nec inferiorum ad superiores vlla animi perturbatio, vt humana conditio fert, oportebat, nisi confortatus fuisset, Christum, & motum, & sensum omninò amittere, quo eius passio impediretur, qua Dæmonis est ablata Tyrannis, & nostra salus effecta. At quamuis huic Angelo passio Christi nota esset, qui erat vnus de præstantioribus, latebat tamen Angelos inferiores: quod ità fuisse confirmatum videtur per Esaiam dicentem sub inferiorum nomine, quis est iste Rex Gloriæ, & per Apostolum, vt innotescat Principatibus, & Potestatibus per Ecclesiam: ex quo Hieronymus inquit Angelicas Potestates Incarnationis mysterium prorsus nesciuisse, donec esset impleta Christi Passio, quod tamen ad maiores nullo modo latuit, vt superius dixi.

* * *

Finis Libri Primi.

DE

DE ANGELIS,

Et occultis eorum operationibus.

AVTHORE

IO. LAVRENTIO ANANIA

THEOLOGO

LIBER SECVNDVS.



T si ea breuitate, qua nobis concessum est narrauimus quo pacto Angeli effecti sint omnes supra propriam facultatem fælicissimi ob diuinam visionem, & quonam pacto sint in tres Hierarchias diuisi, in nouem Choros distincti, dequè nonnullis alijs rebus, quæ ad eorum substantiam, ac beatitudinem spectant, nihilominus tamē reliquum est, ne quid in hac re desiderari videatur, vt nonnihil tractetur de eorum mynisterijs, sed breuissimè, vt nobis moris est, in quibus Deo ictu, vt aiunt, oculi prestò adsunt, tum vt hanc cœlestem machinam moueant, vti iniungitur, mundiquè mirabilem ordinem conseruent, tum quod potissimū est, vt homines, qui ab æterno immutabili eius voluntate predestinati sunt, his adiuncti, diuinaquè gratia fulti regnum eis, antequam essent, præordinatum, à corporibus, quasi ab ergastulis soluti, liberiquè facti per filium ab omnibus miserijs omni cum animi exul-

exultatione obtineant, & vnà cum Angelis in æternum gaudeant,& conregnent,quod mynisteriũ libentius agunt, partim quod ex hoc ſeſe diuini operis cooperatores eſſe, eos non fugit, partim etiam, quod nos ſatis, ac ſatis amant, atquè hinc conſequuntur aliquam beatitudinem, non vt eis aliquid deſit naturę beatitudini,quæ eſſentialis dicitur, ſed vt eam in dies augeri certo ſciant, quæ accidentaria eſt, cum Deus eis hanc tali merito non aſcribat; quoniam nihil ex hac re contrà proprium commodum ſentiunt,verum tamen Deo conuenit ob ſuam liberalitatem, vt quãuis hi nolint, nec poſſint diuinis mandatis non obtemperare, etiam hanc,accidentaria ſcilicet poſtremo obtemperando, conſequantur. Sed ne noſtrum ordinem tranſgrediamur, iam dicendum videtur quonã modo Deus omnia, quæ ſub naturæ lege reperiuntur, cuius caput Solem dicunt, continuet,& conſeruet, per Intelligentias Cœlorum motu, & planetarum, ac ſyderum lumine, & aſpectu; atquè etiam quonam pacto nos ad perpetuam per eos ſalutem conſequendam diſponat, & coadiuuet, ſunt enim omnes adminiſtratorij ſpiritus interno, externoquè mynisterio eius diuinę prouidentiæ, hominum linguis, & Angelorum ineffabilis, à qua nihil excluditur, nec in ea, cum cauſa ſit vniuerſalis, quicquam caſu contingit, quam naturæ legem nonnunquam ſinere, vt in particularibus erret, ne, quem debeant, effectum conſequantur, ex ſumma Dei prouidentia prouenit, qui vel hac re, haud alijs conceſſa, prouentum elicit; nam aut propterea peccatores gratia reſurgunt, ac mala patienter tollerando, maiorem, quam amisère, adipiſcuntur, aut cadendo, amplius Dei iuſtitia, & miſericordia eluceſcit, dum per hæc potiora mundi or-

na-

namenta apparent, & indicibili eius iuditio, iusto tamē cunctos præscitos ex præuisis operibus reos peragit, & omnes prædestinatos gratis saluat. Hæc igitur, quam cernimus tam immensa mundi machina, quamquam finita, infinitæ similis, æthereа scilicet, & elementaris ita à Deo in principio creata ordinataq; fuit, vt omnia, quæ natura superiora sunt, inferiora disponant, & regant; quo factum est, vt spiritualis substantia corpoream ob maiorem eius excellentiam, moueat, gubernet, & conseruet, regioquè cœlestis, à qua omnis virtus dependet, hanc nostram elementarem continuè foueat, cuius non temere lationibus Philosophus cuncta corporea supponit, alioqui enim nihil rerum produceretur nec consisteret, quoniam si in Cœlesti globo primum mobile non moueretur ab Oriente in Occidentem, spatio viginti quatuor horarum, ac alios orbes secum contrà enitentes non traheret, vario tamen motu, atquè firmamentum, vbi stellæ fixæ sunt, tàm tardè suum cursum non perageret, nec Sol moueretur cum alijs planetis in circulo obliquo, iam ad arctica signa, & iam ad antarctica, diuersimodè astra illuminando, nihil corruptionis nequè generationis nobis eueniret, nec mixta, quin dissoluerentur, consistere possent, neque mutuo agere, quamuis non pauci, qui à Scoto sunt, id inficiantur, dum asseuerant esse contra naturæ nexum, cum per cęlestem motum rerum virtutes tantum determinentur, quò circà firmiter tenent lapidē in aere cęlesti motu absque necessario corruere, & stupam igni admotam ex necessitate ardere. Addunt ad hæc nihil quod hic apud nos vitam habet, sursum tenderet, nisi quæ sursum sunt deorsum influerent, vt ergò mundus persisteret, totque rerum species conseruarentur, atq;

ex influxa virtute operarentur, necesse fuit vt, in omnibus Cœlis, Angeli, quinimò in omnibus orbibus, & in astris, vt Platonici aiunt, quæ tantum mille, & viginti duo apparent, singulis singuli præessent, quò eos Orbes mouerent, astraquè variè emicarent, ac eorum viuificum calorem ab hoc elementari, qui rebus immiscetur, valdè diuersum fouerent, & dirigerent, etenim sine ipsis tam varij motus existere non possent, nec diuersi influxus congruè operari; non enim cœlestes orbes à propria forma mouentur, vti aqua, & ignis, quemadmodum quidam noster Philosophus in pluribus quidem rebus, de quibus nouiter tractat, non contemnendus mihi affirmare nitebatur, quoniam haud conuenit tam nobili subiecto, vt est Cœlum, hæc tam vilis forma, quæ tantum moueat, cum & herbæ, & plantæ habeant, præter motum vim nanciscendi meliorem formam, & bruta eam, quà sentiunt, longè illa potiorem, atquè omnes motus tandem existant propter quietem; sed mouentur ab intelligentijs, quæ se habent vt orbium, Planetarũ, & astrorũ formæ non quidem informantes, sed assistentes, vt clarè Astrologi manifestant proptèr diuersos Orbes, variosq; motus in epiciclis, quod, & affirmant nostri Theologi ex Iob authoritate referentis, corã Deo curuãtur qui portant orbes, & ex Dauid canente qui fecit Cęlos in intellectu, Angelos scilicet, vt eos moueant, vti vel ex hoc dicto claret, virtutes Coelorum mouebuntur, & ex D. Petro Apostolorum Principe dum dicit Coeli magno impetu transibunt, quo scilicet ignis gliscens terram, cœteraquè elementa cõbureret, cœliq; omnes proprios motus complerent, ne aliquid imperfectum remaneret, in quã profectò re nihil discrepant à Philosophis præsertim Peripateticis,

cis, qui Cœlos intelligentiarum virtute moueri omnibus neruis contendunt, quam imprimunt propria applicatione, non sua expansa per Orbes essentia, cum in Cœlis non assistant quasi formæ, vti modo innuimus totæ in toto, ac in qualibet parte totius, vti animæ in nostris corporibus, veluti censent Platonici, & Arabes, & nonnulli Theolgi, qui Cœlos animatos affirmant, vna cum Origene; sed tanquam in vno loco existentes, vt Scholastici ferè omnes sentiunt, necnon & Cabalistæ, quorum opiniones libenter refero, non quod eas firmis rationibus fultas rear, sed potius vt cognita earum imbecillitate habeantur, pro vt sunt, tanquã commentitiæ, & nullius ponderis; ai unt enim Cœlos moueri ab Angelis per decem attributa, quæ Hebræi appellant, Keter, Kochma, Binà, Tipheret, Ghedullà, Gheburà, Hod, Nesach, Iesod, & Malchut, quæ apud nos valent quantum, Corona, sapientia, intelligentia, benignitas, fortitudo, venustas, valor, decus, fundamentum, & regnum; per quæ quidem attributa varios influxus à Cœlo empyreo eos arripere, & in inferioribus Cęlis, & planetis eorum motu effundere referunt Mechubales, vnde non modo tempora variant, sed etiam diuersas nobis, & Corporis, & Animi qualitates succedere sibi persuadent, quo certè motu non beantur, cum æternus non sit, cœli enim transibunt, inquit Propheta, & eorum actio, ob quam eos Deus effinxit; multo eminentior est actio, qua Angeli be antur, quàm hęc temporanea, quam Philosophus eis ascribit, est enim Diuinæ essentiæ contemplatio. Quo liquet perperam Aristotelem rimatum esse intelligentiarum numerum ex cœlestibus orbibus, vbi non Cœli, vt Angeli sint, in causa fuerunt, sed Dei opti-

mi maximi summa bonitas, mundi perfectio, specierum conseruatio, atque singulorum quoquè nostrùm custodiendi necessitas, cum propter quòd vnumquodquè tale, & illud magis, facta namquè sunt omnia propter hominem, quem idcircò magnum in mundo miraculum appellauit Habdala Saracenus, & ipsa met veritas omnem creaturam, vt Ite, & prædicate Euangelium omni Creaturæ, cuius anathomiam tantopere admiratur Galenus medicorum primus, vt vel ex hac Deum nosci infinitæ sapientiæ posse innuit, necnon hominem in principio natura mortalem præstare cunctis alijs rebus, cum huius causa sint vnita vltima primis, cęteraque, quæ æterna non sunt, trahantur quodammodò ad immortalitatis perpetuū gradū per hominum resurectionem quasi eorum materiam trahentium. Sed ne amplius digrediar, redeam vnde recessi, referamque Angelorum numerum non modo excedere cœlestes Orbes, qui sunt quinquaginta octo, vt Philosopho placet, sed omnium specierum multitudinem; quinimò cunctos quos custodiunt homines, quorum sententiæ inhærere videntur Thalmudistæ, qui quamuis verū asseuerant, tamen cōmentitiū est, quod ad id probandum referunt, videlicet totum spatium, quod interiacet hinc vsquè ad firmamentum, plenum esse candidis intelligentijs; ac melius Rabbi Moyses, qui sedulo de hac re considerans, affirmat eorum cætum esse propemodum infinitum, nec non & Dyonisius Areopagita, qui inquit, multi sunt beati exercitus excedentes penè omnem nostrorum numerorum naturalium commensurationem; & proptereà dicerem, non ritè sentire Albertum Magnum, dum imaginatur Angelorum numerum sciri posse ex hoc dicto Danielis, millia millium ministra-

bant

bant ei, & decies centena millia assistebant ei, nec Cabalistas; dum asserunt per quasdam eorum summas Angelos esse tercentum, & vnum millia millium, sexcentum, & quinquaginta millia centum, & septuaginta duos, nec etiam quosdam neothericos Theologantes, qui singulis ordinibus superioribus semper augendo decuplam multiplicationem (ad eumdem modum, quo elementis superioribus, pariterque orbibus eamdem decuplam proportionem nonnulli assignant) affirmant eorum legiones esse centies millies millia millium, quæ comprehendunt quatuor millia nouies centum, nonaginta quinque millia millium, sexaginta duo millia sexcentum, & sexdecim; quos omnes scopum non collimasse, dummodò mihi permittatur, dicerem, non Albertum Magnum, cum frequenter Prophetæ vtantur numero determinato prò indeterminato, nec secretiores Mechubales, cum per eorum summas, quas singulas multiplicant per triginta, tantum narrent vt ipsorum moris est, & non probent, quemadmodum in tantæ rei veritate indaganda debebant, nequè illos etiam neotericos Theologos, qui Angelorum certum numerum inuenisse arbitrati sunt elementorum, Cœlorumquè positione, & magnitudine, cum in his nulla talis mensura certa reperiatur, nec si reperiretur, talis proportio aliquid valeret, vbi spiritualis naturæ haud sit vlla analogia cum corporea, nisi ex cœlesti reuelatione, quæ nondum habita est. At prius quam redeam ad metam, à qua digressus sum, cum simus tractaturi de motibus Cœlorum, de intelligentijs mouentibus, earumque mutatione, necnon præsidentia, quam singulæ super has res inferiores obtinent, opere preciū duxi aliqua præfari, nè vlla hac in re lectori inijciatur religio, quod videlicet cum de his diuersimodè

agant

agant Cabalistæ, & Astrologi, vt videbimus, nos potius opinioni Cabalistarum, quam Astrologorum adhærebimus; non quòd fidem eorum dictis indubiā habeamus, scimus enim multa parum cohęrentia dicere, quædam omnino incerta, quædam verò probabilia tantum; attamen in hac materia mihi videntur magis ad ueritatem accedere, quam Astrologi, cum rerum inferiorum gubernationem, seu variationem referunt ad intelligentias motrices, earumque mutationem, & non ad aspectus, & positiones Planetarū, quemadmodum faciunt Astrologi; quod quidem quāuis certum omnino non sit, cum non innitatur neque reuelationi diuinæ, neque Patrum apertæ assertioni, sed tantum coniecturis; nihilominus nostrę religioni minimè aduersatur, imò magis consonat, quam Astrologorum effata. Cum hac igitur cautione accipienda sunt, quæ ex ipsorum sententia deinceps hac in re proferemus; quibus prębabitis redeamus ad seriem narrationis intercisam. Inquiunt enim Angelos non semper eosdem in mouendis coelis assistere, vt falsò Philosophus imaginatur, sed mutari ad tempus quemadmodum sentiunt, qui de rebus arcanis tractarunt. Non quod ex hoc motu vllo pacto defatigentur, cum de his sint, quos Theologi Virtutes appellant, eisque materia ad nutum circà motum obtemperet, eosquè moueant virtutis contactu quā imprimunt, vt expedire vident, æternis rationibus obsequentes, sed ex Diuina præordinatione tempus ad mouendùm, cuiquè illarū præfiniente, vnde author de causis facilè pronunciat intelligentias Coelos mouere, tanquam diuina organa, haud namquè feruntur ad ea, quæ ad finem attinent, nisi vt supernè præordinatum est, neque consequitur aliquid ex hac re quod contradicat; regendi enim virtus à Deo est,

&

& Angeli per se cum intellectuales existant, actiones tantum intellectuales exequuntur, quos quia ministri sunt mutari in regimine conuenit ob rerum mutationem, sed non tam cito, vt de cœteris Angelis fieri Cabalistarum opinio fert, quibus Deus vt Dux suis inferioribus ministris vtitur, quo nos à Dæmonum multitudine conseruent, & tueantur, nos vtiquè opprimere conantium, assistunt ergò tamdiù vt opus est, sed inęquales non propter motum, quasi intelligentiæ quadam proportione Cœlos moueant, vt sibi sentit Auerroes, dicens nonum motorem decimum mobile, (tot enim Cœlos Astronomi asserunt propter trepidationis motum), haud mouere posse, neque intelligentia, quę firmamento præest illud moueret, si aliud astrum adderetur, nec quæ præest Saturno firmamentum, nec quæ Iouis orbi, *Saturni* Cœlum: quandoquidem Cœli coniunctos motores non habent, vt eos figura, quantitate, ac motu informent, nec motus est de actionibus immanentibus, vbi omni conatu trahuntur; verum de transeuntibus in quibus vario nisu sese accomodare sibi integrum est; motus enim causatur à cognitione, & voluntate, vti sentit Dionysius dum inquit, habent Angeli substantias, virtutes, & operationes intellectuales, quibus materia dum propria essentia adsint; in qua voluntas quasi virtus in radice consistit eis nullo negotio obedit. Hinc diuersimodè attemperare motus planetarum videntur prò rerum inferiorum generationibus, quod ita esse manifestatur ex pari penè Solis cursu cum Venere, & Mercurio, qui si vt reliqui planetæ multum deformi motu mouerentur nihil generationis in rebus continuaret, concurrunt enim hi in rerum productione amplius, vt inquit Thomas

quam

quam alij; neque enim motus dumtaxat Solis causa harum inferiorum mutationum existit, quod patet ex Solis retrocessione, Ezechia Rege, qui è vestigio decem lineas retrocedens dominum secundarũ causarum se non esse subinnuit, hac enim retrocessione non decem anni ei, sed quindecim additi sunt contrà Astrologorum directionem, atque idem quoque ex eiusdem mora, Iosue præliante, dum Sol prætèr naturæ ordinem staret; nec non ex eclypsi in Domini Nostri Iesu Christi morte, in plenilunio. dum Luna ita suum cursum accelerasse visa est, vt Dionysium exclamasse aiunt, aut Deus naturæ patitur, aut tota mundi machina destruetur, id quod acturum suspicio est, prope sæculi finem; cum firmamentum multo velocius mouendum cogitent, vt suum cursum compleat, ne aliquid imperfectum relinquatur, quod itidem innuere suspicantur Diuum Petrum Apostolorum Principem dicentem, veniet dies sicuti fur, in quo Cœli magno impetu transibunt; quod iam fieri tradunt ex motu Solis, quem citius impræsentiarum, quam antea ad Terræ Centrum, appropinquare Cardanus meminit. Ex his ergò supradictis perspicuum videtur Angelos inæquales in Cœlis assistere non propter motum tantum. vt dictum est, sed propter diuersum influxum quò superius haustum eum per Cœlestes Orbes ad hæc inferiora influerent, ac dirigerent, varium prò varia eorum inæqualitate distribuerent, atque hoc nihil à recto ordine recedit; cum omne receptum recipientis naturam sapiat; qui quidem influxus transeuntis more ad inferiora impressus quid verè sit, ac quonam pacto operetur nihil mirum est, si adhuc ignoratur, sicut & qua virtute magnes trahit ferrum, cum Cęli empyrei vnde influxum

emanare

emanare referunt, & intelligentiarum natura eum effundentium, nos omninò aufugiat. Hunc ergò prius ab ipso Cœlo Empyreo, ceu suprema vniuersi parte, in alios Cœlos naturales diffundi volunt, qui de rebus abditis tractarunt per supramundanos Angelos à Dei essentia, vt à primo fonte haustum per decem Sephirot, satius quam habent Astrologi, qui firmiter diffundi tradunt à Cęli vario motu ac diuerso planetarum aspectu, & lumine iam aucto, iam imminuto, in qua profectò re hallucinati creduntur, vbi astra per se influxum non mandent, cum potius sint instrumenta, & signa, quam causæ; sed Angelis, qui eum superne susceptum pro eorum substantia, diuersificant, & cum incorporei existant diuersos influxus ex eorum meliori natura effundunt, vt beatorum animas varium lumen prò varijs meritis in Cœlo effundere minimè abnuat Henricus à Gandauo Theologus non vulgaris, quo varias beatorum sedes effici referunt nonnulli classici authores, quod etiam ab eisdem peractum legimus, cum ad nos destinantur ex corporeo, quod assumunt, velamine; sed diuersimodè pro eorum naturæ diuersa excellentia; cuius luminis splendor, quoniam à gloriæ lumine voluntariè prouenit facilè queunt alijs subtrahere vt volunt, licet vltrà præfixum terminum haud augere queant, cum gloria nobis proprio merito respondeat; quem tamen vel ipsis absentibus, etiam per infinitam forè distantiã in Cœlo empyreo minimè deesse aiunt, neque id tam absonum videtur, vt religiosum sit: nam si hoc lumen quod oculis cernitur, cum sensibile existat ab intelligentijs ad astra diffundi Alexander Achillinus non denegat, nec etiam Cabalistæ, dum referunt Solis lucem vmbram esse pro ea, quam

habent Cęli empyrei diuini Spiritus, cur influxus, qui calor non est, vt pleriquè arbitrantur; cum superior sit qualitas, occultaque virtus, quæ nullo attingitur sensu, non proueniat ab eisdem, quem cum cęlesti lumine allatum inferiores Angelos, qui in hac elementorũ regione versantur, ob mundi necessitatem, specierumquè conseruationem, nostramque custodiam à Dæmonum perfidia, ita fouere Talmudistæ fatentur, vt diuinitus iniungitur, quò cuncta sensibilia demissum secundum loca, & tempora rerumque proprietates, proprium ac conformem hauriant; ex quo res non modo producuntur, sed conseruantur, quod ita esse vel ipsa Ecclesia, qua nihil est certius, demonstrat per consuetas rogationes ad proprium influxum impetrandum, ac per exorcismos ad fugandam anni sterilitatem; quo circa qui tractant de rebus abstrusis satis concinnè exponere videntur, Sol, & homo generant hominem, dum intelligunt non tantum de Solis calore in humano semine, verum de Solis intelligentia quam aiunt ità per suos inferiores Angelos influxum moderari, vt Dei inscrutabilibus, iustis tamen placitis respondeat, nec planè penitus absonam opinantur, opus enim naturæ opus est intelligentiæ: ad quod forsitan allusit D. Thomas, dum inquit animalia imperfecta è naturæ gremio per se educi respectu Cęli; nam si spiritualis natura corporeæ non assisteret, ac superior inferiorem non gubernaret, dicant quæsò, quis in puncto effingit in animalibus, quæ ex putri materia producuntur, tot tantaque hetherogenea membra, vt confestim nata motu, sensu viuant vti nos sæpe fieri vidimus in æstiua pluuia circà ranunculos, calor tantummodo, ac Cęlum cum planetarum radijs? absit

cum

cum quæ producuntur, ex agente à proposito produci opus est; cœteroqui natura ad plura tenderet contrà Philosophum dicentem, naturam solummodo ad vnum tendere; omitto quod haud tamdiu rerum species durarent, vt tempori coexisterent, quas Philosophus tanta cum sollicitudine Deum curare refert, vt si vel vna deesset, sapientes non iniuria meditati sunt, totum hoc mundi Theatrum corruere, quæ cum à Cœlestibus vultibus pendeant non abs re sentiunt non esse herbam, non fruticem, non plantam, nec animal, quod stella ex firmamento non percutiat, nequè etiam virtutes, quas à propria substantia appellant, rerum sensibilia haberent nisi Angeli eas subministrarent, nec si haberent, vllo pacto, cum hæ ex elementari qualitate non procedunt sciri possent, quibus tot tantisquè morbis nostris medicaremur, & ex originis crimine, & ex nostris flagitijs insurgentibus, quæ vt interdum vel nouæ ægritudines pullulent in causa sunt; atquè adeo vt tot tantaque in nos mala hac nostra memoria, tam diuturna, sæua, acria, noxia, ac frequentia irruant, vt pauperes rerum penuria oppressi vix vitam ducant, quod etiam ita esse vel ipsa animalia superius mota nobis manifestari videntur, dum per semetipsa in eorum periculis, & necessitatibus propria, quo conualescant, remedia reperiunt in morbis, in quos incidunt atrociores ob corruptam mundi harmoniam propter Adę peccatum, quo vel nobis ipsos rebellasse autumant, ne dicam elementa, & mixta, quæ aliquantulum à propria quam prius obtinebant virtute diminuta videntur, ad quæ reperienda non modo bruta, quæ voluntate non mouentur, sed ne homo ipse propter peccatum deturpatus idoneus existeret; & ideò nisi

à propria intelligentia horum vnaquæquè species ad necessaria remedia consequenda commoueretur nulli tempori coexisterent quemadmodum inferius ostendetur. Ex quibus intelligentijs cęli assistentibus, septem quasi Principes planetis præsidere tradunt, quas varijs his mediis dominandi vicissitudine pro diuerso signorum aspectu Cęli influentias dirigere nihil dubii est apud Platonicos aliis Philosophis religiosiores, & propterea magis veridicos, à quibus etiam produnt cuncta animalia gignendi vim suscipere omniaquè semina propriam suipsorum producendi virtutem sortiri, perinde quasi fieri aiunt de animi donis naturalibus, quæ nobis à Deo tribuuntur, non tamen absquè nostri arbitrii facultate, eorumquè Angelorum medio, quos Hebræi vocant Iscim., sed non sic fieri aiunt de his quas inspirationes nuncupant, cum ab ipso Spiritus Sancti impulsu sine vllo cœlesti medio exhiberi referunt, Deus namquè solus est, qui nos supranaturali perfectione mouet, vt per Theologicas virtutes operemur, & non cœlestis influxus, vt ferè omnes Astrologi tenent, qui quæcumque nobis contingunt astris ascribunt, quandoquidem astra influxum per semetipsa haud habent, nec si haberent circà intelligentias rectè distribui posset; vt ergò res consisterent, ac ordo necessarius in cunctis rebus obseruaretur, necesse fuit hanc corpoream naturam per spiritalem regi, ac gubernari, quod benè S. Augustinus per quam ritè sentit inquiens, omnium primam, & vltimam causam cuncta in cunctis, & singula in singulis operantem, corpoream per spiritalem naturam gubernare, pariter, & D. Gregorius dum affirmat in omnibus rebus Deum corporalitèr Angelis vti, & Philosophi dum dicunt ex astrorum lumi-
ne

ne quicquid hic gignitur excitari : nec non & diuersa nobis dona exhiberi vti à Saturno qui primo quoque mense vnicuique partui propria quadam influentia præsidet, vt iactum in vulua semen retineatur, & à Luna vt augeatur, & sic ex ordine alia ab aliis planetis infundi, vnde fit, vt per eundem Saturnum octimestres partus nullibi sint vitales, præterquam in Naxo Insula, & in Ægypto ob magnam regionum temperiem, à quo nobis solertiam dari tradunt per quamdam dispositionem temperamenti, & occultas qualitates, sicuti à Ioue dominium, animi vigorẽ à Marte, sicuti & à Sole sensuum claritatem influi, amoris ardorem à Venere, & à Mercurio interpretandi acumen, ac à Luna omnium planetarum influxuum receptrice, gignendi fæcunditatem; ita tamen vt singulæ requirunt mortalium necessitates. His intelligentijs nomina propria indere Cabalistæ, & Mechubales ausi sunt contra Ecclesię institutum, quæ non agnoscit, neque admittit, nisi tria illa Angelorum nomina, Michael scilicet, Gabriel, & Raphael, quæ nos quoque pręter hæc tria, reiicimus, quamuis ipsi se fecisse profiteantur, vt mox videbimus, ob quamdam analogiam, quam habent illæ intelligentiæ cum officio seu ministerio, quo perfungi volunt. Vocant igitur illas intelligentias Gabriel, Raphael, Kananel, Azzael, Sciamiel, & Vriel, quæ si rectè interpretantur, valent apud nos, quantum Dei robur, medela, gratia, potestas, auditus, iustitia, & lux. Et vlterius progressi, quamlibet intelligentiam, quam cuique ex Planetis assignant proprio nomine nuncupant, quod etiam ineptum esse, seu saltera incertum omnino fatemur, vt ea, quæ Lunæ præsidet dicitur Gabriel, quæ Mercu-

cu-

curio Ariel, quæ Veneri Vriel, quæ Soli Michael nuncupari referunt, & vt opinantur, non absque misterio, sicut nec reliqua forsan Hebræorũ more, qui imposuerunt nomina secundum rerũ significata, quã intelligentiam, nomine Michael propterea Dei vultũ nominant, aliasquè omnes omnium Cęlestiũ Orbium tum inferiorum, tum superiorum ità excedere perhibent, vt Sol proprio lumine excedit alia cuncta astra, dum suum omnibus alijs flectens nihil ex eis reflexum ob intensam eius virtutem suscipit, quinimò quicquid reliqua sydera faciunt, & ipsum quoque facere narrant; vnde non ab re dicitur fons cœlestis lucis, cor Cęli, mundi oculus, vitæ lumen, naturalis legis Princeps, & hominum Pater, nauigantium scopus, ac itinerantium norma, & nihil sensibilium est, quod is virtute non contineat, foueat, & efficiat, & deniquè non conseruet animantibus imperfectis formas ex putri materia, vt perfectis ex proprio vnius cuiusque semine educens, & nobis materiam disponens, nec quicquam dixeris extrà rerum ordinem, continet enim omnium rerum formas substantiales, & accidentarias præter nostras animas, quæ deforis veniunt, nec ijs, quos informant priores existũt, vt Plato, & Origenes perperam imaginabantur, atquè adeo eum perfectius, ac latius in virtutibus operari referunt, quam res ipsas in proprio genere; cum ex eius iufluentia perfectior virtus rebus imprimatur, quam ex propria ipsarum substantia. Quamquam non admitto id quod nonnulli dicunt de ceræ imagine sub proprio influxu elaborata, habente vim sistendi sanguinem, quæ ei nec vt subiecto, nec vt imagini conuenit, cum per naturam saphiro, & non ceræ conueniat, nequè vt imagini, cum imago consistat in

ter-

tertio qualitatum genere, neque id quod aiunt de scorpione effictosub scorpionis ingressu, contra scorpionum morsus, atque de aliis pluribus rebus, veluti Iatro-Mathematici produnt, quæ non per influxum acceptum à Cęlo, vt ipsi volunt sed per tacitum pactum Dæmonis operantur, licet Caietanus non prorsus id abnuat non tribuens quidem figuræ, sed materiæ. Sed his omissis redeamus ad Solem cui nonnulli tantum deferunt, vt dicant, talē nobis esse animum, qualem Sol habet cursum in signis, Homerum imitati, qui ait, tales mentes mortalibus esse, quales quotidiè dat summi rector Olympi; Quem propterea referunt ritè obtinuisse medium locum inter planetas, vt Astrologi probant ex vmbra, cursu, ac aspectuum diuersitate, vt etiam sentiunt Caldæi contrà Ægyptiorum opinionem; eum immediatè suprà Lunam locantium, sed non ritè quoniam cum omnes Stellæ ex eo nobis eluceant, influxumquè per eius lumen effundant, atque alii cuncti planetæ proprios cursus ex eo dirigant, vnusquisquè tamen suum id nullo modo effici posset, nisi is in eorum medio consisteret ac Eclipticam non excederet, quemadmodum si cor hominis non esset in corporis dimidio homo non viueret; namquè si secus foret extrema nimis frigerent, aut propinqua nimis calerent. Omitto quod sydera, quo nobis emicant, eius splendore emicant, sicut cœteri planetæ suos motus ad eiusdem motus dirigunt, omne enim irregulare per regulare dirigitur, nec ad nos astra influxum sine eius lumine benè effluerent, quo aliquantulum suspenso, nihil consisteret nisi ex miraculo, vti factum est in Christi passione, cum licet Sol Lunam excedat octuagies, & haud fieri potest, quin eius vel modica passio summopere rebus inferioribus

non

non officiat; attamen tunc etsi totus eclypsauerit, quemadmodum benè annotat Phlego Olympiadum supputator, ac etiam Tertullianus; nihil mortalibus offecit, sicut etiam quod Cęli, Terræquè animantia, stante Cęli machina cum Sol stetit, mouerentur, dum Iosue præliaretur, fuit speciale munus diuinæ prouidentiæ; nec Philosophus abludit ab hac re, qui ait, datur natura in omni genere primum, quo cessante cessant omnia eiusdem generis, proinde haud crassa minerua confirmant Solem esse omnium rerum naturalium, ac specierum sensibilium vehiculum, quem non abs re, Platonici Regem Cęli appellant, eiusque radios animam mundi existimant, cui legem Fati Pithagorici ascribunt (sic futurarum rerum seriem in secundis causis existentem vocant) & Hebræi eius intelligentiam Michael vt dictum est nuncupant; quo nomine si is Angelus appellatur, qui altercatus est cum Lucifero Dei similitudinem appetente, nihil refert, sicuti nec si eodem nuncupatur, qui ad magna denuncianda mysteria raro non destinatur, etenim sub vno nomine plures Angeli, vel diuersi ordinis assiduè appellantur, eorum namquè nomina officium, & non naturam indicant ex quibus Hebræi, vt de more fabulantur, quorumque dicta nihil pensi facio, volunt intelligentiam, quæ præsidet Marti nuncupari Sciamiel, & quæ Ioui Sadchiel, & quæ Saturno Ariel, quas nonnulli ex varijs Choris putant, quod tam diuersas voces sortitæ sunt, quemadmodum quæ nonum Cęlum mouet dicitur Cherub, quæ & firmamentum Sciarub, hoc ardor peragit ob Stellarum lumina, & illud scientia, qua opus habet, vt alios orbes iustè moueat, ex quibus, vti ijdem opinantur, nullo tamen nixi fundamento, quæ assistit Saturno est

ex

ex Thronis, vt & quæ Ioui, & Marti ex Potestatibus, quæ Soli præsidet ex Archangelis, ac quæ alios orbes inferiores mouent ex Angelis; nihilominus equidem eos non bene sentire dicerem cum in hac re dissentiant à Theologis, qui hoc officium solum Virtutibus attribuunt vti claret ex hoc, virtutes Cęlorũ mouebuntur; verum ità eas denominatas putarem non quod sint ex diuersis ordinibus, sed propter eorum multiplicem virtutem, ac varia quibus funguntur officia, quas ex inscrutabili Dei sibi iniuncto præcepto, vario Cęlorum motu, ac inæquali influxu hunc mundum inferiorem, ceù Principes ad tempus regere Mechubales credunt, non enim continuè eus regere, vt Philosophus opinabatur, sed solum tercentum, & quinquaginta quatuor annos, & sex menses, asserunt, sed nullo fundamento, non pauci, qui de rebus secretis scripserunt, quibus completis alias potestatem inire volunt; ex quibus omnibus extitisse aiunt Michael, quæ mundum rexit, pro Astrologorum sententia dicentium Solem in Ariete, in quo exaltatur, tempus aperuisse; vnde Hebræi huius rei haud nescij suum annum in eorum cęremonijs inchoant, & Abraham Isaac filium immolare iussus est, quo figura figuratum, & tempore, & loco repræsentaretur, & tãdẽ eodẽ mense Israel ab Ægyptiaca seruitute ereptum perhibent, & dominum nostrum in vtero Matris Sanctissimæ conceptum, & mortem passum, vt pęna crimini eodem mensę, & die ad vnguem responderet, quo etiam et Abel in eius figura ligno peremptus est. Quibus intelligentijs proprios Angelos sub esse volunt quemadmodum Gabrieli, qui elementa, & animatorum corpora regunt, & Michaeli, qui proprium influxũ ad nos Solis radijs allatum di-

ſtribuunt, vt cęlitus iniungitur, idem iuxta ipſorum placitum dicendum videtur de cunctis alijs intelligentijs, ad quam rem reſpexiſſe ſuſpicio eſt, quod legitur in Pſalmis, per dies Sol non vret te, nequè Luna per noctem, Angelis ſcilicet animales, vitaleſquè ſpiritus à malo influxu præſeruantibus, alioqui noceret, quibus ſpiritibus ſuccumbentibus ad quæ non incideremus mala dæmonum malitia, & aſtutia continenter nobis officere vigilantium? Hinc inferunt, qui harum regnandi viciſſitudines ponunt eos, qui illas non ignorant, aut qui Cabalam cum Aſtrologia coniungere, vt alibi dictum memini, benè ſciuerit, non paccua quæ à Cœlo nobis ventura ſunt, certius quam purum Aſtrologum præſcire, nulla enim hic poteſtas erigitur, quin prius Cœleſtis non humiletur, ſicuti retulimus in libro de natura Dęmonum ex Pici authoritate, magis namque intelligentiarum mutationes ipſi dicunt, quam Cometarum apparitiones, ac planetarum etiam coniunctiones, excidia & minas, dignitates, & dominia cauſant, perduntuè, & propterea neque regna, neque regiones, neque Vrbes, neque familias ab hoſtibus expugnari contingit, niſi Angeli ea protegere deſtiterint, veluti ſatis claret per Iſaiam Prophetam dicentem, auferam ſæpem, quæ eſt Angelorum cuſtodia, & erit in conculcationem gentium, veluti etiam claret ex Angelorum voce Hieroſolymis à multis percepta emigremus hinc, qua audita actutum Iudęorum animi, qui in defendenda eorum Patria, & libertate pertinaciſſimi erant, ita proſternati ſunt, vt confeſtim Sancta Ciuitas hoſtibus diruenda ſuccubuerit; veluti etiam liquet ex Angelo qui apud Rhodios apparuit ſupra eorum vrbis mænia, ſub Equitis forma, dum

Tur-

Turcarum exercitus in humum exponeretur, qui semel visus subinnuit, haud eos amplius protecturus, cuius ostento Turcæ facti audaciores tota Insula potiti sunt, sciunt enim haud incassum Prophetam cecinisse frustra vigilat, nisi Dominus custodierit Ciuitatem, qui custodit eam, quos Angelos non semper singulos assistere in vrbibus claret ex Hierosolymis expugnandis, vbi plures auditi sunt, nec mirum, accurrunt enim præter Custodes, & alii in earum vrgentibus necessitatibus, præsertim cum plures, quos acturi sunt, effectus occurrunt aut plures insistunt Dæmones impulsores, non quod vnus satis non esset, verum id Deus facit sua, qua nos prosequitur, magna pietate, quo scilicet nos hæc videndo maiores ei gratias exhibeamus, cum referre non possimus, ac libentius à peccatis abstineamus, quod largè patet ex magno cætu eorum, sub equorum curruumque similitudine Helisæo eiusque puero Giezi apparentium, nec non ex Salomonis templo, quod dum Heliodorus ingredi vellet Domini Thesauros erepturus ab eisdem verberibus cæsus, vix semiuiuus relictus est, at nihil mirandum, tunc enim Templa erant tantummodo sub Angelorum protectione, quoniam nondum Christus Sanctus Sanctorum venerat, nec Sancti Deũ videbant, quo nos tuerentur, quod etiam liquet ex loco, quem Domini castra Iacob denominauit propter Angelorum ibi visorum magnam turbam, quorum accessu nos corroborati facilè nostros aduersarios licet præpotentes vincimus, alioquin nos vincerent; quod & Pithagorici, & Platonici, etiam nihil in sacris differentes sentiunt, dum confirmant summoperè nobis proprios Genios in periculis prodesse, qui quod magis vni, quam alii propritii sunt, id Sco-

 tistæ

tistæ animarum pręstantiæ ascribunt, vt Astrologi fęliciori horoscopo, & Cabalistæ numero, nomini, & professioni; Ad quod respexerunt qui Hetrusca disciplina eruditi, admodum curabant propria vrbium numina magno sacramento occuli: his enim euulgatis Genios ab earum tutela euocari posse sibi credebant, ex quo Romani, qui vt non poterant Phrygijs artem militarem acceptam non referre; ità Thuscis Religionē, & præcipuè in expugnandis Vrbibus se earum Dijs (sic tutelares Genios appellarunt) proprios cultus, nè sibi earum ruinæ displicerentur, in Vrbe exhibituros potestabantur, ægrè enim ferre vrbium destructiones Angelos cogitabant, vndè forsan euenit vt ingruentibus calamitatibus, varia signa, & portenta ostendantur ab Angelis ob nostram, quò corrigamur, causam, & Sanctorum imagines sanguinem, nedum lachrymas effundant, nec non & Cometæ in aere appareant, & in Terra, & in Mari multa portenta in quibus præsidere ferunt, vt ea loca in proprijs terminis, quos Deus certa quadam lege præfixit, retineant, eaque conseruent, quoniam nisi hi adessent, qui Dæmones arcerent à patrandis, quæ possunt, malis, aqua magnam Terræ partem ob eorum perfidiam, & iniquitatem operirent, & aerem igne comburerent, & deniquè cuncta sensim destruerent, & propterea Iob Dei afflatus numine inquit, circundedi illud (de mari verba faciens) terminis meis, & posui vectem, & ostia, Angelos scilicet; & dixi hucusque venias, & amplius non procedas; atquè Dauid posuit ea terminis suis, quos non transcendant; Hocquè ob cęlestes planetarum Dæmones, sic eos appellant, qui abdita litteris tradiderunt, non quod eorum orbibus assistant; sed quod eò interdum tendant, vt propitios in-

fluxus

fluxus prohibeant; quos propterea tendere vsque ad firmamentum, quod à Centro distare Astrologi ferunt, Terræ diametris duobus, & viginti mille, sexcentum, & duodecim, sed sic dictos volunt, quod malignis eorum influxibus, quibus in pœnis infligendis contrà nos vtuntur, tanquam Dracones vtique inuigilaut, quas nobis vt vellent, infligerent, nisi à proprijs Angelis prohiberentur; id manifestatur ex Pharaonis Magis qui tertium prohibiti defecerunt, & ex Balaam hariolo, qui vt noxium influxum captaret dira in Israel imprecaturus, plures montes peragrauit, iugiter loca opportuna, & tempora obseruans, sed incassum cum nequiret ab Angelis impeditus maligno influxu intercepto: nam si aliter foret, vt semper Dęmones attenti sunt mortalibus noxas inferre, nihil esset quod in particularibus Regionibus non destruerent, in omnibus enim nequeunt ob præsidentes Archangelos naturæ ordinem conseruantes, vt sibi placeret turbine, procellis, fulmine, grandine, & vredine noxam inferre, naturalibus enim naturalia raro non pessundant: tametsi minimè inficiarer, aliter nocere posse ob imperium, quo pollent circà materiam, vnde messes excantatæ sunt, ac de vno loco ad alium translatæ, quod tunc maximè intendunt hi Dæmones, cum quibus obesse enituntur eorum influxus propitios quadam coniectura consequuntur, eosque impediunt & sunt ex ijs qui conuersi ad infima à Deo auersi sunt, quos Platonici terrestres vocant, ex quibus plures cum eorum Ophineo ruisse volunt, hoc nomine Luciferum nuncupant, quamquam Diuus Gregorius refragetur huic opinioni asserens ampliorem numerum ex præstantioribus cecidisse, ratus quod eorum peccatum emanauit à superbiæ fonte,

Quo

Quo igitur hos cohiberent Angeli eis præfecti sunt, quorum præfectura durabit, vt nos, mundumque conseruent, donec Cœlorum motus penitus desiuerit, quibus ità Dæmones subsunt, quoniam Dei ministri, vt nihil eis inuitis præualeant, vel si Angeli ex minimis existant, & Dæmones è superioribus ordinibus, quin imò nec si Angelus sit vnus, & illi plures, vsquè adeò inferiores missi corroborantur ex diuina potestate sibi impartita: nec propterea aliquid dissonum emergit, cum prælationis officium naturæ facultatem eminenter excedat. & Angeli Deum videndo, vident non modo præsentia, sed etiam nonnunquam ventura, sed superna reuelatione, ac crebro cum duplici visione rerum contingentium, ex cuius altera fines tantum, & ex altera cur succedant, causas agnoscunt, quibus itaquè à male faciendo dicto citius potestatem inhibent, signis, seu loquela, vno namque ictu in actum, atque obiectum feruntur, quos interdũ ex Dei iussu, ad tempus, nè male faciant, vinciũt, sicuti peregit qui Sathanã ligauit per mille annos, & propterea velim ne cogites cœlestes spiritus qui Dæmones ligant id facere prò magorum desiderio, vt sibi cogitant Arabes, dum putant id à Cœlo fieri posse, cum in hac re non potest non adesse peccatum, à quo Angeli immunes sunt. Sed vt ad scopum vnde recessi redeam, referam Angelos præpositos esse elementis, tum ob naturæ conseruandum ordinem; tum etiam ob diuinum Ius custodiendum, quo percepto nihil inter se contendunt, quinimò ad vnguem iussa confestim exequuntur, vti non faciunt Dæmones; qui nullam veram concordiam, nisi ex proprio, quod intendunt, commodo habere possunt, carent namque charitate, qua vel rationale, ne di-

cam

cam intellectilem animal. In pace atque amore stabilitur, nam si hoc non esset, quod Angeli his præfecti assisterent ob mundi ordinem conseruandum, & ob nostrum beneficium, vti supernè mandatur, nihil esset quod Dæmones non diruerent, & pessundarent, vt perquam clarè ostenditur ex Pharaonis Magis, qui Angelico mynisterio impediri defecerunt in tertio signo, cum prius quæ Moyses fecerat cuncta fecissent, atquè adeo prorsus elementa corrumperent, vt interdum corrupisse creduntur, quod tunc accidit, quando nos sæua pestis occupat nulla sensibili qualitate corrupta, veluti manifestatur ex ea, quæ Ephesi sedata est ab Apollonio Tyaneo, atque etiam ea quę Romam diu vexauerat, absque vllo remedio, quæ nihilominus Tauro immolato, Ioui Lycæo à quodam Græculo statim destitit, & ex ea quoque, quæ anteà Pelusium, & postea Byzantium infestauerat, in quibus Dæmones dira terriculamenta ità sub humana specie miseris ingerebant, vt plagas sibi infligi ab alijs opinarentur, quibus oborta febri insitus calor non mutabatur, nec vlla erat inflammatio, sed infesta tussis, ostendebat tubercula, propter quæ mors iacebat in limine; quod etiam sic se habere demonstratur ex eadem, quæ in Aethiopia orta, totam inquit Galenus Græciam afflixit, quod fieri non potuisse videtur sine Dæmonum opera, vt tam dira huiusmodi contagij semina in tot tantaque locorum interualla diffunderentur, plerisque alijs regionibus medijs intactis &c. Adde simul quod absque Angelorum opitulamine nulla maria nauigari possent, quin nauigia, & nautæ fluctibus non obruerentur, tempestates enim frequentius à Dæmonibus cieri patet ex dextri pedis Sanctæ Crucis clauo in mare ad sedan-

dam

dam tempestatem proiecto à magno Constantino, qui cum primum eius vndas satis fluctuantes tangeret, Dæmones fugati sunt, & mare ita sedatum est ac si anteà nihil tempestatis passum foret, vbi prius vehementèr fluctuaret, & ex ea etiam quæ Vrbem absque vllo remedio ità affligebat, vt desolationem minaretur, tandem sedata viso Angelo in Adriani mole, quę mutato hinc nomine Sancti Angeli Castrum nuncupata est, nec etiam fluuij, nec fontes, nec vlli putei extarent, quos Dæmones tabe, vt nos perderent, non inficerent, quinimò in vanum ignis noctu, ne nobis vllam noxam inferret, cinere sopiretur, nec aliqua Domus ventis sæpe per eos furentibus resistere posset, quinimò nos prosternerent, vsque adeò ardent in nos continua inuidia, & in Deum perenni odio, quod potissimum præ oculis habent, in qua planè re assiduè ab Angelis impediti, quibus incumbēbant, cæptis desistunt. Neque ex hac re aliquid est quod à trita semita recedat, cum id ex Dei ministerio proueniat, cui causæ secundæ cedunt, vnde Apostolus Romam accedens meruit, vt quotquot cum eo naui vehebantur conseruarentur ab Angelo, cæteròqui submergerentur; Ex quo fit vt Dæmones de quibus sancti triumpharunt, non modo subiecti sint eorum meritis, sed etiam eorum reliquijs, quas proptereà admodum timent, vti videri potest etiam in veteri Testamento per illum pseudoprophetam, qui hallucinatus Iadonem videntem, vt cum eo comederet, in causa fuit, vt is à Leone discerperetur, cuius rei non ignarus, suis liberis mandauit, vt se post eius obitum cum eo, vt mala euitaret, sepelirent, dicens hoc facite, vt benè sit mihi pro eo; sacrantur namque prophana loca Sanctorum reliquijs, ex qui-

bus

bus Dæmones fugantur, non fecus quam ex thuris suffumigio, & ex aqua expiationis, qua sepulchra asperguntur, propter Cobalos, sic vocabat antiquitas quoddam Dæmonum genus, cadauerum puluerem, ne dicam, carnes comedentium, quas furore quodam deuorare quasi Canes, & famelicos Lupos, satis claret ex historia Hasuiti, & Amundi apud Saxonem Grammaticum, & apud Apollonium Thyaneum, ex relatione Menippi, propter quos spiritus fugandos antiqui Thusci, & Romani summopere curabant illuminanda eorũ sepulchra perennis flammæ splendore metallica aqua emanante, quos Baluà vocant Cabalistæ qui huiusmodi nomina fingere minimè dubitant. Sed vt prosequar cœpta, dico Angelos non solum assistere, vt dictum est elementis, sed cunctis rerum speciebus, auium, piscium, reptilium, & quadrupedum, & prò earum conseruatione, & pro mundi pulchritudine, & prò nostra etiam vtilitate, prò quibus cuncta facta sunt, ne scilicet Dæmones nos per ferocia animantia vlla noxa afficiant, quibus optimo iure interdum sæuire conceditur absquè aliqua nostra culpa, & in nos, & in nostra etiam pecora rabire, vt ex Iob videri potest, qui de proprijs erroribus verba faciens, ait, vtinam appenderentur delicta mea in statera, omnia enim mala in eum pattrari Sathanæ permissum fuit, præterquam in ipsius animam, neque id ab irrito rectoquè tramite vel hilum exorbitare dixeris, quod tantus vir sine proprijs erroribus vexabatur, cum non omnes pænæ, quæ nobis infliguntur fiat ob propria facinora; non abs re inquit Deus de Cœco orto à natiuitate, nec is peccauit vt Cæcus nasceretur, nec parentes eius, contrarium autem succedit, cum pænæ genericæ dantur,

tunc enim eueniunt aut propter nostram aut propter nostrorum maiorum culpam, vt regnent aduersa propter peccata populi, & propterea liquet neminem in via, nec propter quæ patitur mala, nec propter quæ possidet bona; dignum indignumuè diuina gratia iudicare posse, quamuis raro bona, quæ fortunæ ascribuntur, cum in his sæpè committitur abusus, non possideantur à peccatoribus ac prauis hominibus, non enim sine causa dicitur plura Deum concedere iratum, quam propitium. Veruntamen ne nostra oratio à suo themate desistat libenter eam continuabo, addamque tantopere Deo homicidia displicere, vt pro his etiam animalia bruta, ne dicam homines pænas dent, vti percipitur ex Genesi per hæc verba; requiram sanguinem animarum vestrarum de manu cunctarum bestiarum, sed nihil mirum, cum propterea scriptum referant occisorum sanguinem ad Deum clamare, & sanguinem Abelis perempti, vel hucusque Damasci è quodam saxo scaturire peregrini cernunt. Sunt etiam Angeli, quos Hebræi Ophanim vocant, qui, vt monuimus potestatem nomina Angelis imponendi sibi temere vsurparunt, quos præsidere variis fruticum, virgultorum, herbarum, gemmarum, necnon & metallorum speciebus Origenes non denegat, & quos libentius vni, quam alteri propter eorum naturã sese extendere Platonici non dubitant, nec etiam Talmudistæ dum affirmant Angelos magis vni, quam alteri propitios esse ex diuinis attributis, ex quibus tradunt eas virtutes dirigi, quas Astrologi planetarum aspectui ascribunt. Quos etiam vel brutis animantibus succurrere aiunt in eorum necessitatibus, eaquè adiuuare, vt se suosque defendant in his præsertim rebus, in quibus proprijs

vi-

viribus nequaquam sibi subuenire possunt, qua propter cuncta Cœli, ac Terræ animantia in arcam Noe, quò à Diluuio præseruarentur per eos introducta fuerunt: quibus etiam mediis, & Asina Balaam dum acutis calcaribus percuteretur, locuta est dicens, cur me stimulas? & bouem locutum ante bellum Ciuile legitur in gentium historiis dũ magna solicitudine à quodam colono defatigaretur, inquiens, cur me tantoperè premis, cum homines potius quam triti cum post hac defecerint? quorum etiam opera, & Corui, vt excocta oua prolifica reddantur, frigidos quosdam lapillos reperiunt, ad eorum nidos afferunt, & ijdem suis pullis escam inuocantibus subueniunt, nam nisi hoc foret, quonam modo vultures triduo antea locum prȩsagiant vbi cadauera successura sunt, an dixeris ab odore? absit, cum in sensarione requiratur obiectum, an actu à cœlo? nequaquam, nisi vt in causa quod ipsi per se scire nequeant, cum id solum contingere valeat ab agente à proposito, quod aliud, quam intellectile aut rationale esse non potest; nam nisi hoc esset, quomodo Crocodili pariũt oua à Nili futura inundatione, vsque adeò distantia, vt se, & suam prolem sospitem reddant, & quomodo P cus herbam excerpit, qua cuniculum ab obstruso foramine vbi suos pullos alit, expellat, & quonam modo cancer à colubro morsus calamento, vt conualescat inhæret, & quonam etiam modo Ceruus in eodem discrimine existens dictamum inuenit, & testudines cuniculum, Mustelæ rutam, Ciconiæ origanum, & Cuilum Trapobanæ animal cum angue præliando ligni cuiusdam morsu se defendit, & Accipiter quomodo hieracium requirit, & Canis tormina patiens propriam herbam, qua se muniat, qua-

dam indagine reperit, quo pacto Ichneumon certaturus cum Crocodilo limo se linit, quo etiam pacto hirundo cælidoniam inuenit, quo suis pullis erutos oculos sanat, & quomodo Pellicanus proprio sanguine mortuos filios aspergit vt reuiuiscant, & Aquila vt suos pullos legitimos noscat, ad Solem erigitur adde quod nec quæ de duobus, vt alibi retulimus, gemellis narrat Albertus magnus, vera essent, alter quorum talis erat, cuius tactu omnia claustra patebant, nec quod de Gallorum Rege referunt in strumas patientes, nec quod dicunt de Pirrhi digito, aut de Alcis vngue, neque forsan sine Angelo mouente, qui in Apulia morsi sunt á virosa aranea proprium sonum, choream, & colorem eligunt, vt valetudinem recuperent, cum nulla ratione moueantur, certum propterea indicium causæ superioris, quæ omnia de quibus alibi tractauimus, cum propriam eorum facultatem superent, naturæ instinctui, qui in eo quod intendit certior, ac melior est, propterea quod intelligentiæ non erranti subest, cui id Philosophi, vt dictum est ascribunt; à qua re tantum abest, vt dissentiam, vt constantèr asseuerem hanc intelligentiam tanto nos lumine in naturalibus rebus præcedere, quanto cæteræ intelligentiæ astris assistentes nostras animas; & tamen Deus animalia bruta non sicuti nos regit, quorum capilli numerati sunt, quos vltrà præfixam metam haud protendi clarum est: non enim inquit D. Hieronymus pari rationabilia, & irrationabilia diuina prouidentia gubernat: satis namque est generalem dispositionem in his, ordinem rerum, cursumque intelligere, quo piscium multitudo nascatur, & viuat in aquis, quo reptilia, & quadrupedia oriantur in Terra, & quibus alantur cibis; absurdum nam-

namque est in hoc deducere diuinam maiestatem eò scilicet modo quo deducitur ad homines curandos; idem ait vt per singula momenta curet eo pari modo quo de hominibus quot nascantur muscæ, & culices, quotque moriantur, quæ cimicum, & pulicum, & muscarum sit in terra multitudo, quanti pisces natent in mari, & quæ de minoribus maiorum prædæ cedere debeant, non est dicendum, nisi iniuriosi nobis ipsi simus, nam non ita humilitèr de nobis satagit, vt de rebus, quæ ob mundi ornamentum nostrãque commoditatem factæ sunt; de quibus hominibus quoniam sui actus dominos effecit, æternoque fini ascripsit, particularem curam per proprium Angelum, vel per plures gerit; de omnibus enim æqualitèr, at non similiter diuina prouidentia curat, præterea Angelos nostræ genesi quò formæ introducantur Origenes minimè abnegat, cui & Platonici forsan assentiunt dum per abstractas rerum species particularia generari sibi habent, scilicet vt naturam, siue seminalem rationem quadam influentia confortent; cum ex semine tantummodo, vbi causa sit conformis non succedat difformis effectus, neque à Cœlesti calore, cum sit causa vniuersalis in toto medio vniformis, quo solo neque vna pars secundum totam elementorum portionem sursum tenderet, neque alia deorsum, neque in circuitu alium, diuersumque agerent effectũ, vt opus est fieri in rerum mixtione, ac dispositione actuum, vt formæ introducantur, à quorum sententia Astrologi dissentiunt, qui hoc Cęli imaginibus, & Solis radijs ascribunt, asserentes omnes terrestres vultus cœlestibus supponendos, neque esse sensibilem speciem, cui propterea intelligentia non præsideat, quin nec in Cœlo signum quod peculiarem

in

in nostro corpore locum sibi non vindicet, nec etiam Planetam, cui membrum non subscribant, nec deniq; sydus quòd in hominis generatione nõ obũbret, & imprimat in facie, & in manibus signa, quod annotasse apparet Maculadus Theologus non spernendus, per quam nimirum corporis compositionem aiunt nonnulli interdum perspici proprij animi inclinationem, contrà quam tamen nobis resistere semper est integrũ &c. quorum opinioni fauere videntur, qui nati in astrorum exaltatione Iouis filii dicuntur, qui nec vultu parentes, nec etiam vllis moribus referunt: ab his enim omnibus summopere discrepat Aristoteles, quẽ ipsam naturã prę manibus habuisse memorat, dũ nullo negotio hanc corporũ plasmationẽ diu secundũ veritatem scrutatus cœlesti tantum igni & generationis semini ascribit, quasi in eius spumosa parte existat virtus gignentis, vel æthereus spiritus astri non absimilis, tanquam ars in Artificis mente, quamuis in libro de animalibus virtutem formatiuam agentem intelligentiam vocat, a qua membrorum effigies, & omnes formæ præter nostras eliciuntur, in qua profectò re Platonicorum sententia veritati magis consona videtur, vti vel ex hac ritè inspicienti apertum est, quod naturæ facultatem, quæ ad vnum tantum tendit, longè excellat: & propterea Galenus medicorum facile Princeps cum in hac intellectum requiri perspiceret Peripateticorum, ac Astrologorum opinionem, quasi impossibilem perspiciens, hanc virtutem in seminali ratione locantium, rotundo ore inquit, in suo de temperamentis, quam male pronunciant, qui corporum formationem Solis dumtaxat qualitatibus ascribunt, cum organi esse, necessum sit, formatorem alium, & alibi interdum contingere

ait,

ait, vt formatiua virtus à temperamento discrepet, quam certè difficultatem Hieronymus Fracastorius benè intelligens hanc virturem animæ mundi mortalium animabus superiori tribuit, sed non ritè sensisse apparet, cum mundus animal non sit ob multa quæ sequerentur absurda, neque facit ad rhombum, quod prò anima intelligentiam capiant, vt ait Auicenna, vbi intelligentiæ mediante Cœlo agentes limitatæ sint virtutis, atque vt operentur propria existentia opus habent, cum earum virtus in essentia, quasi in radice consistat quod rectè Scotus perpendens id Deo ascripsit, vt & Antonius Andreas, & Georgius Ariminensis, qui dicit in propria vniuscuiusque genesi proprium Angelum requiri, quo hoc diuinum opus effingat, à quo non dissentiunt Cabalistæ, qui spiritus animales ab intelligentijs dirigi tradunt, sed dicerem, Angelos assistere, dummodo mihi permissum sit, vt propriam ac particularem naturam confortent, & Dæmones prohibeant, & qui seminalem generationem corruptam ex Adæ carne magnopere oppugnant, tùm ob Dei æternum odium, tum ob nostri inuidiam, tum etiam ob eorum non paruum timorẽ, ad quam quidem rem non parum facit quod Theologi ferè omnes dicunt, (quod tamen neutiquā certum est, sed asserere fidei non officit, potuit enim Dei iussu id fieri) ab Angelis in Dei incarnatione sanguinem Virginis in tempore collectum, vt in instanti ex Spiritu Sancto conciperet, mulierquè virum circundaret, secus enim operari nequeunt, quod ità esse perspicuū est, vel ex hominis admirādo opificio, in quo tota hæc mundi machina, eam quasi sub epilogo concludens, sic depicta apparet, vt nihil inmundo magis admirabile, quam hominem esse non temerè dictū

ferunt,

ferunt, quod vel ex hoc vno cordis naturali motu liquet, qui alios omnes nostros motus in corpore causat, non aliter quam in Cœlo primum mobile alias motiones;ne dicam ex duplici qua constat natura spirituali, & corporea, quarum vna Angelis assimilatur, cuius potentiæ Dei imaginem referunt, & altera quicquid corporeum est satis continet, sed excellentiori modo, vt relatum non me fugit, in eo enim Cęlestia terrestri modo sunt, cum figura Cœlum repræsentet, quam sphericam habere peritiores dicunt, vti ex diuaricatis cruribus, extensisque brachijs posito in vmbilico circino, ac circundato facilè demonstratur, vt et corporea substantia ipsa elementa, vnde constat ex eius præcipuis membris Zodiaci signorum qualitates referentibus & ex partium vsu elatiore artificio compactarum Dei sapientia, cū nihil sit quod in tanto artificio demi, addiuè valeat, ne dicam ex ossium, & membrorum numero, quem iudicialium præceptorum numerum coęquare aiunt, quæ sexcenta & tredecim esse perhibent, quod casu factum minimè est, vt cuncta fieri Democritus censebat:non enim hoc sine Dei nutu, à quo casus procul, & fortuna abest, actum putare licet, Dei admirabile artificium quo homo omnium metrum esse indicitur, ac proprium imperium ante peccatum habuisse ostenditur, cuius voluntati crebro vel superiora obedire visa sunt; vt perspicuè videtur ex Magno Alexandro cuius desiderio vt fama est Panphilicum mare retrocessit,ex Moyse cui Rubrum, ex Iosue cui Sol stetit, & ex Elia cui Cęli pluuiam dedit, quod etiam ostenditur per nonnulla animantia,quæ dum ferocia horrescunt, ad hominem quasi ad proprium dominum accurrunt. Ad quod non parum facit quod scribunt, Adam

com-

compactum fuisse ex virginea terra, de quatuor mundi partibus oppositis, collecta Angelorum mynisterio, sicuti colligentur nostrum omnium cineres nouissimis diebus à proprio vniuscuiusque Angelo custode ex omnibus in quibus reperientur, vti perpenditur ex hoc, descender Dominus in voce Archangeli, & congregabuntur omnes à quatuor mundi partibus quorum Angelorum quoque ministerio Deum vsum tradunt, dum Euam ex Adæ costa formaret, in qua nihil feminis erat; mira profecto res, sed à veritate minimè aliena, quandoquidem Deus Angelis in omnibus ferè rebus vtitur, præter mundi creationem resurrectionem mortuorum, & vnionē hypostaticam; ac iustificationem impij, adde & panis transubstantiationē, quæ creaturæ communicari non possunt, cum nostrā naturā excedāt, quod ita esse, vt supra dictū est, vel ipsa monstra ostendunt, quæ haud naturæ tantummodò errores putandi sunt absque vllo significato, cum raro aliquid non portendant, nec casu, si altius inspicias, contingunt, vti Philosophi arbitrantur, qui hæc materiæ solummodò ascribunt ob defectum, aut diuersum situm à naturali; cum ne folium quidem moueatur absque Dei voluntate, nec ea tam assidua tot tantaquè ingruentibus magnis calamitatibus euenirent vt sæpe fit proptèr peccata populorum, quæ prius quam eueniant, Deum cuncta præscire, & curare pro comperto habeamus, eosque omnes damnemus, qui hanc curam à diuino intellectu eripiunt, cum nihil sit, quod contra eius voluntatem, quam placiti nuncupāt, succedere possit; Omnipotens namque est, & omnia sua maiestate adimplet, nec inde intellectus vilescit vt censebat Auerroes, cum intelligere, & regere idem sit quod esse, nec ex his quid-

quam recipit, sed magis cunctis illapsus nobis influit velle, nedum existere; & conseruari, quò nos, quos tantopere amat his monstris in terra succedentibus, & in Cœlo cometis visis certiores factos verè pœniteat, vnde raro contingit, quin instantia mala non portendant, quamuis non me lateat interdum esse tantum signa minacia. Verum mirabile dictu, naturam, passim peccantibus hominibus, sua præseferre deliria; id Deus facit, & ipsa natura, vt sciamus nobis errantibus, omnia quoadmmodo errare nec mali quidquam esse, quod Dominus non faciat, nec quod eius infinitæ prouidentiæ legi, quæ nec falli, nec fallere potest, non subsit, quam Angelos executioni de

mandare superius relatum est, vt cœlitus

mandantur, quos propterea, &

Dęmones valde timent,

natura vt

mo-

bilis ad nutum

patet.

Finis Libri Secundi.



DE

DE ANGELIS,

Et occultis eorum operationibus.

AVTHORE

IO: LAVRENTIO ANANIA

THEOLOGO

LIBER TERTIVS.



OST EA QVAM dictum est hanc totam vastam mundi machinam, quæ pro sua magnitudine infinitũ propemodum attingit, Deum optimum maximum, summa qua est sapientia, ac inexplicabili prouidentia regere, & conseruare per intelligentias cęlorum motu, atque syderum influxu, quibus vt adiunctis instrumentis vtitur, vt hæc scilicet elementaris regio persisteret, & cunctæ rerum species, cum earumdem indiuidua minimè durarent, eorum continua successione extarent vsque ad nouissima tempora; reliquum est vt nonnihil tractetur quonam pacto nos, quorum causa omnia facta sunt, excitet moueatque per res, quas Philosophi naturales, & contingentes nuncupant ad æternũ finem, ad quem eius pietate omnes ferè vocati sumus, qui præliando cum Sathana, mundo, & carne, tandem saluemur viua fede, per Dominum No-

ſtrum Ieſum Chriſtum, in quo Deus eſt, tanquam ſibi coniunctò inſtrumento, eſt enim Deus, inquit Apoſtolus, in Chriſto ſibi mundum reconcilians propriâ ipſius morte, ab animarum Tyranno liberans abſoluto Chirographo, in quo nos Adam affixerat, qui per eaſdem res nos ſuauiter agit ad Patrem, quarum vſus nos effert ad aſtra, & abuſus tradit ad Tartara, quas nobis ſtudio, quò mereamur, cœlitus obtrudi Theologi ferunt, quamuis Philoſophi fato nobis contingere imaginati ſunt idque factum eſt ineffabili Dei conſilio, ſtudioque, omnia enim propter nos, quos initio rerum Dominos condidit, acta ſunt, & ob animam propter eius præſtantem naturam, & etiam ob corpus, cum in eo cuncta corporea miro quodam arcano, & excellentiori modo contineri relatum eſt, iuſſit propterea, vt Angeli non modo aſſiſterent, & in Cęlis prò conſeruanda hac mundi mole, & in elementis prò tuenda tanta rerum multitudine, ſed etiã vt aſſiſterent in cunctis nobis prò noſtra particulari tutela, ſingulis vnus, pluresue ampliori nihilominus cuſtodia poſt Adæ peccatum propter auctam interius nos tentandi Dæmonum tyrannidem iuſtè permiſsã, etſi iniuſtè poſſeſſam, ne tota noſtra natura peſſum rueret obſeſſa à tribus præpotentibus inimicis in hac continua perennique pugna, vbi raro non infliguntur lethalia vulnera, licet ſint natura, & officio nobis cuſtodiendis deſtinati, iuſſit iam inde cum ſemen iacitur, vel cum anima infunditur, vel poſt hominis ortum, quem Aſtrologi capiunt, cum partus deſcenderit à materno vtero, extrà ſui corporis centrum, putant enim prius, ſatis eſſe maternum Angelum, nõ enim eos latet poma cuſtodire, qui arborem cuſtodit. Ab his omnibus diſcrepant, qui aſſeuerant Angelos

accedere post spiritalem natiuitatem hoc enim meditantur, quoniam sibi credunt Dæmones non inuehi in Deum vt Creatorem, sed vt Redempturem, quod tunc euenit cum infantes baptismate renati proprio fini ascribuntur, qui aliud non est, quam diuinum obiectum, à quibus equidem facile, dummodò mihi liceat, dissentirem, qui quidem Dæmones nescientes certos prædestinatos, quorum numero completo confestim iudicium erit præ foribus, non queunt tantæ rei dubij non semper impedire quoscumque oriundos, ne dicam ortos, tentare, modo valeant propter eorum ampliores futuras pænas, ac Dei æternum odium. Qui quidem Angeli & si omnes nos custoditum accedunt ex vltimo ordine, non tamen omnes æquales accedunt, seu animarum maiori gratia seu eorum prestantiori natura, vt patet vel ex eo, qui datus est Adæ Custos, antequam peccaret, per quam vaticinium obtinuisse Mechubales non diffitentur, cum de propria coniuge diceret, os ex ossibus meis, & caro de carne mea, & nomina indiderit cunctarum rerum prò earum virtute, quæ & in Coelo, & in Terra rata, firmaquè fuisse Iustinus Martyr Theologus non infimus non cunctanter affirmat, quem propterea haud ex inferioribus fuisse dicebat, cum Adam nisi Dominus foret, vbi tunc nihil seruitutis aderat, saltem magister tanquam nostræ naturæ principium esse decebat, à quo omnium rerum naturalium scientiam eius posteri edocerentur, quam propterea calluit suprà omnes alios tum in inditis idæis, tum etiam ex acquisitis, hunc Angelum, ex quadam ipsorum coniectura, & opinione Raziel Cabalistę appellant, vt alibi ennarrauimus, qui statim post commissum peccatum ei apparuit sub humana forma, non sine

my-

mysterio cum ex ea apertè ostensum sit non defuturum remedium eius tanto crimini, quo adeò refocillatum referunt sibi iudicij virtute corroborata, vt animam non exhalauerit, quam alioqui exhalasset, ex eo quod viderit, inferius ob suam culpam superiori, aliquo modo praeualere, intellectum à sensu, scilicet appetitu iam facto perduelli, & calcitrone saepius obnubilari, id enim peractum arbitrantur omnes, qui à Scoto sunt in nostras paenas, sic diuina exposcente Iustitia, qua Dei potestas cognoscitur; hoc Adam sibi, & nobis omnibus causante, qui spreto Domini iussu dum pomum, quo vxori obsequeretur, gustaret, non tantum seipsum, & nos omnes rebus inferioribus subdidit, sed vtramque mortem sibi, & nobis astrinxit, atque adeo vniuersi harmoniam abstulit, qua Cęli propitii erant, & omnia ei interius & exterius parebant, proinde ne tanto crimine desperaret, quod Cabalistae (penes quos fides esto) factum ferunt cum ei agni pellis ab eodem Angelo ostensa est, in futurum remedium tanti facinoris; vt etiam claret ex Angelo, quem Noe magistrum assequutus arcam struxit, quae cuncta animalia caperet, ex mundis septena prò sacrificiis, & bina prò eorum multiplicatione, dùm diuinitus perciperet mundum alluuione, propter gigantum bestialem libidinem, submergendum; absit namque, quod scribit Berosus, eam ab Astris percepisse, cum pęnae tam genericae à Cęlo non succederent, non enim natura seipsam destruit, quin aliquid corrumpendo, generationem per se intendit, & per accidens excidium. Omitto nomina Angelorum, quae Cabalistę sibi fingunt cum nos praeter eà, quae Ecclesia recipit non admittimus, idem verò agnosci potest ex aliis Angelis cum quibus cae-

teri

teri Patriarchæ assiduè loquebantur quasi amici cum amicis, ex quibus plura percepisse iidem non denegant, quæ inferiores nescijsse certum est, at quid plura? summopere, inquam, dedeceret diuinam sapientiam, quæ omnia numero, pondere, & mensura metitur, æquales Angelos destinare sapientibus, qui dati sunt pro nostro exemplo, vt ignorantibus, qui nesciunt quid distent æra lupinis, altiora scilicet his phantasmata suggerendo, proptereaque ex præstantioribus existere, qui ad magnates, atque sapientes mittuntur, nullo pacto denegandum videtur, sicuti ex infimis qui ad miseros, & stolidos destinantur, quorum inæqualitas facile comprobari potest, vel ex his, qui sub sensu sæpe apparuerunt, & factum percipitur ex eo, qui interdum noctu Beatæ Franciscæ Romanæ apparens Lunam magno fulgore obscurare videbatur, & diù Solem, atque ex eo quoque, que m Platonici apparuisse narrant Plotino Philosopho, qui tam fulgentissimus apparebat, vt vel ex ea re Deum Aegyptij eum nominarent, quamuis putatem fuisse Angelum Sathanæ, qui se transfigurabat in Angelũ lucis; apparent namque Angeli corpora assumendo alij alijs nitidiores prò eorum præstantiori natura, qui tamen non semper, nec ex æquo curam gerunt de omnibus quos custodiunt. Nam cum tria bona nobis custodienda curent, naturæ, fortunę, ac animi; maiorem curam præseferunt circà naturæ dona de infantibus, ac pueris, qui nondum arbitrij facultatem assecuti sunt, quam frequenter post septimum annum assequi volunt, cum prius loco stare nesciant, nec imminentia pericula præcauere, imò Coeli motum ità sequuntur, vt nihil supra phantasiam efferantur propter imbecilliorem ætatem, pariter & de

in-

insanis, ac furiosis, qui intellectu nihil præualent ad cohibendos Dæmones, qui nunquam nobis nocere, dum possint desistunt; de quibus etiam naturæ donis multum curant de illis, quos insignes futuros præsagiunt, ex quibusdam præcedentibus signis, quemadmodum Moyses, qui iniectus in fluuium submergendus, seruatus est per Pharaonis filiam, ac vt ostenderetur futurus magnus Princeps, impulsus est in seipsum contrà ipsius propriam naturam, quà se suosque tueri omnibus datum est, dum arripiens tenellis manibus magis prunas, quam aurum in os sibi iniiceret, vnde bæsus redditus est. Res certè digna non pauca consideratione, & custodiam Angelorum comprobante, quòd quidam expositi sublati sunt ad maiorem potestatem eorum conditione, vti claret apud Spartanos ex Nabide, apud Romanos ex Romulo, & apud Persas ex Cyro; & non ità pridem apud Lucenses ex Castruccio Castrocane, quos omnes, aliosque similes nullum non lapidem Dæmones, præsertim si fideles sunt, non mouent, modo possint, vt ab vnguiculis perimant ob eorum probam indolem, ob quam timent, nè ad eiusmodi sanctitatis fastigiũ perueniant, vt eorum meritoria opera Sanctæ Ecclesiæ thesauris aggregentur, quos tantopere Lutherani spernunt, sed in cassum, vti benè sciunt qui Sacram Scripturam seriò scrutantur, alioquin dicant quæso quid erat nisi hoc esset, quod Christi nostri Saluatoris passionibus deerat quod Apostolus ait se adimplere in corpore suo? Idem factum est Moysi circà naturalia dona qui centum, & viginti annos habebat, quando mortuus est, & dentes ei moti non sunt, nec oculus caligauit, quod ideo scriptura meminisse videtur, vt ei id concessum videretur supra propriam

eius

eius naturam, nec sine causa; haud namque conueniebat tantum virum, qui cum Deo crebro loquebatur deformiorem videri tot populis, quos regebat, ne vel ex aliqua eius deformitate quicquam conciperent contra eum, ac diuinam prouidentiam, quasi nihil humana curantem, cum mandet Angelos interdum plures, vt ab instantibus discriminibus, quos custodiunt, tueantur; sed diuersos, vt diuersæ sunt eorum dignitates, & officia, vti peractum est Israeli, dum fugeret ab Ægypto, cui fugienti mare rubrum cessit, sitienti petra dedit aquam, & aer pluit coturnicibus, & manna habente omne delectamentum, Angelico ministerio conglobato, quo ipsorum membra vsque adeò confortata sunt, vt nunquam ægritudinem passi sint, nec pediculis vexati, nec etiam vestimenta attrita, seu etiam noctu in tenebris Angelus iter ostendit flammea columna, & diù nube eum à Solis æstu protexit; cuius medio lex data est in Monte Syna, inter promissionem Abrahæ, ac repromissionis retributionem, vt qui naturalem legem non metuebant Dei percussi timore à peccato metuerent, qui Asinam Balaam ad loquendum mouit, qui etiam effecit ne in Templo Salamonis aliqua mulier abortum faceret ob tantam sacrificiorum, quæ Deo litabantur, nauseam, & ne fumus ventis furentibus aliò, quam recta sursum tenderet; quin vt ignis de Cœlo descendens statim holocausta comburenda absorberet, stantesque viros cum his arca ostenderetur, in maxima angustia existentes cernuos locus largè caperet, qui etiam peregit ne angues vllum propè Hierosolymam morderent, & ne Leones Danielem Prophetam in lacu existentem vllo pacto offenderent, qui & D. Petrum ab ergastulis liberauit, necnon &

 Pro-

Proculum martyrem aliosque plurimos Sanctos à periculis protexit, & Policarpum à flammis & Iphigeniam Æthiopiæ Regis filiam, quod Hirtacum in virum suscipere respuerit, Deo vota virginitate, qui etiam effecit, vt fretum Siculum Phantini votis obediret, dum Messanam petens Tyrannum aufugeret, & vt D. Margarita à Diabolo sub Draconis forma deglutita viua, integraque euomeretur, vti & Ionas absorptus à Cethe, atque ne angues Beatam Christinam, sed illos in eam irritantes deuorarent &c. Idem quoque Angeli frequenter curant, vt ægroti à morbis conualescant, cum de eis actum esset, animas confortando, vt proprium calorem extitarent, quem anteà nequibant, impeditæ vel naturæ errore, vel proprio peccato, vtrumque enim patet, alterum ex Tobia, qui cæcus ab hirundinis stercore ex Calliorimi felle facto suffumigio Raphaelis iussu, confestim visum recuperauit, & alterum ex Ezechia Rege cui vita prolongata est ob eius pænitentiam; quod etiam videmus interdum fieri vi Sacramenti extremæ vnctionis, non enim frustra, ait, D. Iacobus vt infirmi malè habentes sordes deponant, presbyteros inducant, & super eos orent, oleo vngentes in nomine Domini; nec propterea vel imprudens lector quicquam admireris, cum Angeli valeant expellere non modo morbos, qui à proprijs particularis naturæ infectis humoribus emergunt; sed etiam quos syderibus ascribunt, nec non eos, qui ex veneficijs enascuntur, aduersus quos parum, aut nihil medelæ prosunt, hoc agunt per eorum assistentiam, qua oppressos confortant, atque subleuant, multò citius, atque perfectius, quam medelæ, dum obstrusa quam primum aperiunt, & pollutos humores expellunt.

Iidem

Iidem quoque curant de Principibus tam pijs, quam impijs, quo demonstrent omnem potestatem esse à Deo, quemadmodum apertè manifestatur ex Rege Antiocho, dum contrà Galatas præliaretur, cui demonstratum est à triplicato trigono, se hostes victurum; atque ex Iuda Mathathiæ filio cui hisce sibi litteris in aere ostensis Machbi victoriam percepit, quæ expositæ Cabalistarum more miranda continent, qui volunt obscura nomina, quæ apud nos nihil significant, magis mouere, quam clara, & significantia nostras animi affectiones, quę superioris causæ operationem ex agentium credulitate trahere solent; quanquam in his nominibus, quæ ab Ecclesia comprobata non sunt, haud equidem abnuerem latere nonnunquam superstitiones Dæmonum astutia &c. Quod etiam percipiunt (sed nescio vnde id acceperint) ex Magno Alexandro, cuius precibus referunt montes conclusos fuisse in Hebræorum pænas, atquè ex Cinge Tartarorum Cam, ad cuius vota Sericum mare retrocessit, vt Sericam Prouinciam debellaret, erat enim non parum Nestorij hæresi infecta, ac etiā ex Casimiro Sarmatiæ Rege cognomento Monacho, quem certantem contrà Ruthenos adiutum legimus ab Angelo in Polonicis historijs, & ex Lesca quoque cognomine Nigro, & Magno Constantino, qui se triumphaturum de hostibus intellexit ex Cruce Domini nostri Iesu Christi sibi in aere Angelico ministerio adumbrata, necnon ex Alphonso Rege Congi, cui ex quinque ensibus dum Deum oraret prò se alijsque ibi fidelibus demonstratis cognouit se superaturum Pansum eius germanum, ob cuius rei miraculum omnes Regnicolæ his prò insignibus vsi sunt &c. quod idem patuit in veteri Testamento ex Israe-

le, cui vt vnusquisque postes Thau agni sanguine signaret, mandatum fuit, ne Angelus Domini pertransiens sibi noceret, rem profectò admirabilem, cum hæc littera crucem referat in Samaritanorum characteribus, qui sacri reputantur à Moyse inuenti; Iidem quoque Angeli curam gerunt non modicam de doctis, qui nobis cœlitus dati sunt, vt alijs quasi lumina præluceant, vti apparet ex D. Hieronymo, qui obdormiens Ezechielis interpretationem ab Angelo accepit, atque ex D. Thoma, quem multa scripsisse tradunt diuina reuelatione, & Sancta Catharina de Senis, quæ litterarum nescia, linguam latinam calluit, & pleraque Sacræ Scripturæ arcana sciuit; Nec non curant non parum de Prophetis, qui nobis concessi sunt, vt Deum agnoscendo, omnia videntem, & curantem, peccare abhorreamus cum nullum malum inultum, nec bonum irremuneratum remaneat, quod etiam verum esse apertè patet ex Abraham qui seruatus est ab Angelo ne in Vr Caldeorum iniectus combureretur, & ex pœnis ob Saram in Abimelech inflictis, quod eius pudicitiam attentaret. Hinc inferre licet, optimum factu esse si in dubiis, & in periculis, ne erremus, aut succumbamus Angelum Custodem deuotè imploremus. Verum non erit hic abs re ea referre, quæ de custodia Angelorum circa probos, & improbos, eorumque fortunas qui sapientiores cum sint, se abdita scrutari sibi arrogant, quorum tamen leuissimas opiniones nihil facimus, cum veris falsa, vel saltem improbabilia seu incerta, miscentes nulla fide digni sunt, vti postea ostendemus. Dicunt autem in donis, quæ vulgo fortunæ ascribunt, maiorem diligentiam Angelos præseferre de prauis, ceruicosis, assentatoribus, & insipientibus

ad

ad fortunæ influxus captandos magis dispositis, quam de bonis viris, sapientibus, veridicis, atque prudentibus, qui propria arte, scientia, & industria vitam ducere possunt, quod alij nequeunt cum in eorum actionibus parum vtantur de intellectu, quinimò in his mouentur vti animalia, quod Astrologi tantum astris ascribunt, sed incassum cum stellæ agant solum in sensum, & non in mentem, quam Græci Nus dicunt, & Hebræi Nesciama quasi cœlestem ob eius immortalitatem, quod Abraham Chaldeis id denegantibus, miraculo ne dicam disputatione comprobauit, cum propterea in ignem iniectus incolumis euaserit, Deo propriã eius actionem suspendente, quod etiam perspicuum esse inquiunt, vel ex hac re, quod rarò bonam fortunam non assequantur ij, de quibus superius meminimus, quorum maior pars nõ solum vlla prudentia in suis rebus, non vtuntur, sed affectatam ignorantiam duramque peruicaciam amplexi, bona quæ consequi deberent non sequuntur; vti minimè agunt, qui benigniori sidere afflati, vitam ducunt arte, scientia, & industria, ij namque agi volunt à proprio Angelo ad ea, quibus opus habent, tanquam natura, vt relatum est, nulla ratione vtentes, non secus, quam bruta animantia, quę in discriminibus ab altiori, quam ab interno principio mouentur (quod longè melius est non modo eorum sensu, sed nostro intellectu) in id, quod intendunt, etsi exteriori impetu excitentur, quasi formicæ quæ hieme natæ triticum æstiuo tempore colligunt, aut quasi Aranea, quæ vere productæ telam vt Muscas, quas prius non senserant, facilè decipiant, transparentem ordiuntur, in cuius medio ità sese adaptant, & accommodant, vt ocyus eas inhærentes excipiant, ac deuorent,

uorent, hoc Philosophi intelligentiæ non erranti adscribunt. Et pro inde hinc colligunt nihil esse, quod mirari queas, si probi homines, sapientes, & prudentes in quibus Deus elucet per quam clarius, rarò fortunati sunt, namque hoc ideò succedit, quod in his donis erogandis, non modo præsens, sed omne tempus mundique ordo attenditur, aut quod docti, & prudentes, proprijs viribus, & ingenio nancisci possunt locum, tempus, atque etiam modum, quo eorum genij amplius præualeant, vt quod necesse habent sibi reperiant, & acquirant proprioquè sudore vitam ducant, quod Dei maximum esse perhibent, ac quodammodo certum suæ gratiæ argumentum, quin propriæ salutis firmum stabilemque arrabonem. Nec profectò quicquam doctis dubitandum esse aiunt cum artes quibus vita degitur successerint in pænas; Deus enim vult vt hi conformes fiant imagini filii sui; qui vera sapientia est, de quo passim fertur vulpes foueas habent, & volucres Cœli nidos, filius autem hominis non habet, vbi reclinet caput; non enim conueniens est, vt membra discrepent à capite; nam quod Deus amat his ea impartitur, quæ ipse amplexus est, quę aliud hic nō sunt, quā paupertas calamitates, miseriæ, & ruinæ; vndè verum manifestatur Philosophi dictum, vbi plurimum de fortuna, ibi minimum de intellectu. Volunt præterea Angelos curare de his, quomodo ditescant, qui nihil præ oculis aliud habendo tantummodo hæc bona à Deo absq; vlla conditione instantèr exorant, ex quo non abs re fertur plures Deū exaudire iratū quā propitiū, atq; ex hac re inferūt nihil mirari oportere Deū tantopere malorum satagere, cum ampliora per eum beneficia collata sint in eos, qui proprio ingenio degunt, quam in illos qui

quæ-

quæcumque desiderant pro votis, obtinent, quia admodum superant ars, doctrina, & ingenium, quæ quasi diuinam naturam participant, aurum, argentum, & gemmas, quæ de terra excauantur, quæ propterea terrestres homines maiori amore prosequuuntur, ad ea enim, quæ amplius amant maiori inclinatione feruntur; miroque Dei secreto magis aliis ea præsentiunt, nec quicquam esse sentiunt, quod in hac re reuocetur in dubium; huiusmodi scilicet homines fortunatos esse, etenim id succedit ob magnam dantis liberalitatem, ac magnificentiam; Dominus enim est, qui non nulla malorum opera remunerat. Quod non absque secreto percipi posse asserunt à doctis ex hoc proprio nomine Græco Τύχη in quo non paruum mysterium abscondi ferunt in litterarum numero quatuor existentium, quot scribitur nomen Dei apud omnes peritiores populos quemadmodum cernere licet apud latinos, ex hac voce sors, atque ex hoc nomine Elaha apud Chaldæos, & ex Iehoua apud Hebræos, & ex vocabulo θεὸς apud Græcos, apud latinos Deus, apud Aegyptios Theuoh, Siri apud Persas, apud Aeoles σέος, atque ex hoc nomine Esar apud antiquos Tuscos, & ex hoc apud nouos Indos Gemi, quot litteras referunt Cabalistæ cõtinere nomen viri pacifici in miserationibus, quem prius Adam intellexisse ab Angelo affuturum sibi saluti, & omnibus posteris Cabalei pro suo libitu innuunt. Nec ideo quod diuitiæ nonnunquã possideantur à bonis viris, qualis fuit Abraham, Isaac, Iacob, Iob, & Ietro, quæ dicta sunt vacillare volunt, sunt enim inquiunt de his rebus, quæ non ex merito, vt sibi Hebræi persuadent, & hominum vulgus, conceduntur, cum interdum eas possideri contingat

tingat per Angelos nequam, vt alibi diximus ex Pici authoritate, propter earum abusum; non enim citrà causam dictum est, diues iniquus, aut hæres iniqui; neque certè aliquid absurdum emergit, cum Deus Angelis in his tantum rebus vtatur, quæ pietatem, misericordiam, & salutem præ se ferunt, vt alibi sæpe abundè diximus prò Cabalistarum opinione; habent namq; per gratiam dumtaxat vsũ cũ fidelibus, probis, Dei timentibus, sapientibus, iustis, piis, prudentibus, & humilibus, carnis opera penitus aufugientibus, & quæ spiritus sunt prorsus sequentibus, in quibus illapsus per meliores operationes clarius lucere perspicitur, qui à prauis hominibus procul abest, & propterea hos miseros dixeris, nunquam enim quod censent bonum consequuntur, sed in malum, quod non putant, rarò non incidunt, hæc enim bona temporalia nobis dantur exercitationi, vt his ritè vtendo æterna non amittamus, quorum effrene desiderium sic naturæ lumen tenebris offundit, rationisque vsum ligat, vt sæpè fortunas in pænas possideri sapientiores videant, possidentur enim ab auaris, prauis, ceruicosis, insipientibus, & assentatoribus, qui hasce amore hærentes assiduè diligunt, & quæ maior cæcitas, exclamant, quàm his vinculis ligari tàm arctioribus, vt demum ad infidelitatem trahant? quò circà non abs re fertur à Domino, vbi Thesaurus tuus, ibi & cor tuum, & necessario inquit Hierocles, incidunt in technas, mendacia, & blasphemias, qui diuitias venantur, non enim conniuentibus oculis prætereundum est, quod Dominus ait, impossibile esse, hoc est admodum difficile diuites ingredi in regnum Cœlorum, & quod fertur in hymno Dei Matris Sanctissimæ, & diuites dimisit inanes;

Quam

Quamobrem non in vanum se consulere perhibent, vt euitemus fœneratores, tanquam nautæ scopulos, & Clericos negotiatores, quasi pestem, etenim raro eorum consuetudo non contaminat, vbi tales sumus quales cum quibus conuersamur, ex quibus hanc illationem ducunt anilem porro, & futilem fortunatos quos benè natos Philosophi appellant, forsan prò Astrologorum vana sententia dicentium ex nono signo post horoscopum assignari τὴν ἀγαθὴν raro ad propria loca, quæ ad seipsos faciunt, & artes, scientias, & industrias cælitus non impelli, ibique vt proficiant moram non contrahere, id enim agunt impulsi à Dæmoniaca, vt Proculus tradit, potestate, quo Cęli propitium influxum aucupantes, facilius acquirendas opes, congregandos Thesauros, & consequendos honores curēt. Per hanc potestatē Angelos intelligunt eos diuersimodè quasi naturā excitantes, mouentesque, quos propterea à fælici sydere inclinari, ac à proprio Angelo satis custodiri sentiunt isti, qui de rebus abditis tractare se credunt, prò rerum scilicet subordinatione, ac iuxta Angelorum mutationē, quòd Platonici olfacientes suadent, vnumquemque sui animi propriam inclinationem in omnibus rebus sequi debere, ac ad propria loca pergere, quo præfixos gradus, & honoris, & scientiæ consequantur non enim temere volunt dictū fuisse ad Abraham in Genesi (vbi ne iota vnum, aut vnus apex reperitur; quod mysterio careat) vt ad Australem partem ambularet; ibi enim magnificabitur eius nomen, & ad Isaac, vt tenderet ad Borealem quo proficeret; at quid nam mirum inquiunt cum loca valdè faciant in acquirendis bonis, ac scientijs, ex cœli influxu, & Angelorum præstantia, quo euenire sibi persuadent,

vt non sic proficiant, qui student Parthenope Theologiæ, vt qui Lutetiæ; veluti olim non ità proficiebant Philoso phiæ, qui vacabant Marsiliæ, vt qui Athenis, quos nobis propitiores nosci Marsilius Ficinus ostendit ex frequentiori rerum successu; illic enim ratò noster animus non gaudet, mens tristitia diù non iacet oppressa, omnia quasi arrident, nec aliquid succedit, quod denique proprijs votis non correspondeat. Addunt præterea commenta quædam Cabalistarum non minus euanida; quod scilicet, vt res propterea succedat non modicum facere nominũ mutationem, vel ob Ethymologiam conformem rei, vel quoniam in his mutandis, mutantur Angeli, officij videlicet, ac professionis, quos conformes multum prodesse, vt difformes multum nocere non denegant, propter æqualẽ quẽ sibi imaginantur corũ numerum æternis rationibus correspondentem, quem magnam vim habere minimè abnuere ferunt Rabbi Adarson, nec Georgium Venetum, dum inquit imparem pari esse fortiorem, hinc Poeta ait non sine causa, numero Deus impare gaudet, quod certè comprobari posse aiunt ex sacra pagina; quandoquidem in 4. Libro Regum legitur dictum ab Eliseo ad Ioas, si sex, aut septies sagittas emisisses, vt misisti ter, penitus destruxisses Philistim; à quo nihil dissentire volunt, quod nonnulli Platonici perhibent de eisdem numeris, dum produnt ex eorum multiplicatione, ac subtractione, sæpè certum rei quæsitæ euentum habitum esse, à quibus neque dissentire contendunt Hebræos, dum asserunt nomina mutata fuisse Abrahæ, & Saræ propter numerum, vt gignerent cum prius steriles essent, ex quo factum tradunt non abs re, vt Angelus vocaret Danielem nomine
He-

Hebraico spreto Chaldaico Balthassar, mutatumquè nomen Abisai in Abisa ob necem Abner, ad quod alludere affirmant, quod referunt Thalmudistæ prævalere nigrum Angelum ob malum nomen, sicut ob bonum candidam intelligentiam, & proinde nostri hortantur non citra rationem imponi debere Infantibus baptizandis Sanctorum nomina; non enim sine causa Cabalistæ innuunt septuaginta duos Angelos, ex septuaginta duobus Dei nominibus, eorum secreta arte ex tribus Exodi versiculis, per quæ quasi per canales nobis bona cælitus exhiberi autumant, ad quod respexisse volunt, quod scriptum est, Angelus matris tuæ præcedet te obserues nomen meum in illo &c. Idem etiam fieri referunt, per mutationem artis, scientiæ, industriæ, & officii, cogitant enim per horum mutationem Angelos mutari his præsidentes quasi omnes Mechubales, qui Astrologorum opinionem in hac re imitantur, hæc omnia astris ascribentium; verumtameu his Platonicorum, & Pythagoricorum, nec non & Cabalistarum opinionibus, vt potè fictitiis, & inanibus omissis, dicam minimè inconsentaneum esse, si hoc hominum genus, qui fortunæ influxus facile percipiunt non semper honores, aut diuitias consequantur; cum non omnes proprii animi inclinationem ad vnguem sectentur, neque semper à Deo sic disponente illis concedantur; vt neque etiam, si non semper sapientes rerum penuria oppressi in rota miseriæ versantur, cum de his interdum curatum sit, vt fortunas assequantur per bonos Angelos, quemadmodum patet ex Thobia, quem ad Ragem vsque (quám modo Echbatanam nuncupant) quo locupletaretur comitatum per Angelum Raphaelem legimus in Sacra Scriptura, Itaque in

 con-

confesso est, fortunam, ità Philosophi vocant quandam proprietatem nobiscum natam, cũ scilicet natura operamur, seu vt latius inquam quendam impetum superius nobis immissum prçter nostram electionem sequi, procedere non à Cœlo, vt a prima causa, cum astra neque causent, neque signent, neque vllo pacto ansa per se Thesauri inueniendi esse possint, quoniam in tali re, necessarium est, vt agens sit à proposito, quod aliud esse nequit, quam Deus, aut intellectilis creatura, quod ideò contingere peritiores existimant, ne propter hæc, quæ & à bonis, & à malis possidentur, aliquem dignum, indignum uè diuina gratia arbitrentur; vult namque Deus nos omnes in omni, qua versamur, conditione nostram salutem curando his gradibus ad quos vocati sumus, quippè facilioribus ad nos saluandos contentos esse: semper enim Dominus nos inducit ob suàm pietatem per tutiorem viam, ac magis nostræ saluti expedientem, & ideò apertè patet, quòd quamuis religio sit sæculo securior, non propterea existimandum est eos, qui in sæculo sunt, & damnantur, saluandos certò fuisse, si essent religiosi, quin forsitan in ampliori damnatione interdum extitissent, quoniam de prædestinatis nulla hic certa salus scitur, nisi ex diuina reuelatione; vt actum est cum Apostolo, cui cælitus dictum legimus, sufficit tibi gratia mea, prædestinationis enim nihil ex parte nostra causæ est, non enim opera, quæ Scholastici appellant de congruo, sunt causa prædestinationis, nec etiam quæ nuncupant de condigno, quanquam in eam cadant, nisi dono perseuerantię consumentur, & ideò nihil de æterna salute, nec de damnatione sciri potest, quamuis non negauerim frequentèr mala magis latere in secundis re-

bus,

bus, quam in aduersis, quocircà euenit, sed non absque mysterio vt rarò Lares, hoc est spiritus, qui nuncupantur familiares non versentur in superbis atrijs, & non in humilibus tugurijs casisque; id ascribunt, sed frustra. eorom præstantiæ, cum si ità forent haud versarentur in locis horridis, nec in vmbrosis conuallibus, vt sæpe contingit, vitijs ergò magnatum, & diuitum flagitijs tribuendum videtur, quæ vel in pęnas operibus transeunt, cæterũ de his quos æquus amauit Iuppiter, quos Græci Θεογονούσας nuncupant, Angeli raro non ostendunt maiorem diligentiam, ac sollicitudinem circà bonum nomen; quod nemini velim negotium facessat, hi namque præpositi sunt, tanquam aliorum exemplar, itaque legitur in sacra pagina, custodiuit Angelus Saram à Rege Abimelech eius pudicitiam attentante, ac etiam eandem à Pharaone, & viuit Dominus, inquit Iudith, quia Angelus custodiuit me, atque Angelus Domini circundat in circuitu timentium eum, vt eripiat eos; nec aliquid refert quod legitur Dæmones præualuisse quandoque circà bonam famam aduersus pios, ac Sanctos; cum postremo veritas manifestata sit cum maiori eorum laude, & grauiori Dæmonum ignominia, & cum eorum futuro damno non exiguo. Curant etiam non modicum de sapientibus circà dona animi, quas raro boni viri non amplectuntur, in animam namque malitiosam non intrabit sapientia, quæ quidem dona distribui ferunt, & prò varijs naturæ dispositionibus, & prò maiori animarum excellentia, per quæ Angeli crebrò excitant lucidiora phantasmata, præsertim cum ea tractantur, quæ ardua sunt, ac magni momenti, & ad publicam spectant salutem, quæ vt gratia perficiuntur, ità pecca-

to

to obſcurantur, verumtamen non ſic fieri perhibent de meritoriis donis, quæ propter facinora prorſus deperduntur, Dei enim gratia, per quam habentur, aliud non eſt, quam diuinæ eſſentiæ participatio, cui flagitia ita opponuntur, vt tenebræ lumini, etſi non ſemper æqualiter ob culpæ inæqualitatem, quandoquidem quanto culpa maior eſt, tanto vehementius nos diuino auxilio priuamur. Inſuper Angeli non ſemper æqualia phantaſmata nobis excitant, quamuis ea excitando, lucidiora excitant, quam intellectus agens, id enim agunt, vt nos per ea noſtros errores agnoſcendo facilè reſipiſcamus, quod niſi ſuccedat noſtræ ignauię attribuendum eſt, ſemper enim Deus quęrentibus præſto adeſt, haud enim ſine causà, inquit Dominus, Ego ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis aperit ingrediar, ad quam profectiò rem, ſic nos Angeli mouent ſenſum compeſcendo, rationemque illuminando, vt ſi velimus, gratiæ diſponi, ſatis valeamus, nunquam enim nobis propitios eſſe in vrgentibus neceſſitatibus deſiſtunt, niſi altius iuſſi, & proinde ſi non ſemper nobiſcum propria eſſentia aſſiſtunt, à cuſtodia nihilominus non ceſſant, niſi ſupernè iuſſi fuerint, Deum namque vident vbique exiſtentem, ex quo vel noſtras neceſſitates agnoſcunt melius quã in proprio genere, & nos adiutũ accurrũt, dummodo expediat, etiamſi in Cœlo Empyreo ſint, quo frequenter pergunt Deo vacantes, ac nonnullis de rebus, quas Deus alibi reuelare non conſueuit, propter immenſam eius maieſtatem, & indicibilem rerum ordinem, vt conijcitur ex Angelis Perſarum, & Iſraelis, tamdiù ſecum certantibus, atque præſtolantibus diuinæ reuelationis tempus, qui non tam longam moram contraxerunt ob vllam loci diſtantiam, cum quo-

quocumque velint accedere, nihil impediuntur ibi confestim esse, modo corpus assumant in primo instanti in vno loco, & in altero in secũdo iuxtà formarũ introductionẽ; spiritus enim sunt extrà quantitatis terminos, quorum actiones quippe intellectuales ac à proprijs idæis tempore discreto mensurantur; sub quo nullum medium intercedit inter duo instantia, vt euenit in continuo, quod à Cęlo est. Sed de hac re hactenus, cum alibi largè tractauerim, id circò libenter recurro vnde digressus sum, dicamquè Angelos raro nobiscum non adesse in vrgentibus periculis; tametsi rarissimè sentiantur, propter nostra facinora, quæ in causa sunt, vt nos ipsi à nobismetipsis distemus, nec ardua res est, etenim tantum ponderis in animam imponimus, vt vel si ipsi fortius in aures intonuerint, non percipiantur, sed tamen contrarium euenit his, qui gratia viuũt, quibus his superuenientibus, è vestigio cis inferni horror præ oculis adest, Spiritus Sancti opera in mentem suppetunt, summo odio ea quæ carnis sunt abhorrent, seque per Angelos ex ingenti discrimine exemptos facilè agnoscant, compressi aliqua animi męstitia ità dilatantur, vt statim robur, fortitudo, & consuetæ vires castęque cogitationes enascantur, Dei timor, & diuinarum rerum magnum desiderium, ingens æternæ veritatis amor, summa sceleris detestatio, peccati perpetuum odium, mundique magnus contemptus, vltimi damni timor, & denique Dæmonum horror insurgunt. Cæterum non ità fit aduenientibus Dæmonibus, qui nos initio exhilarant, sed in fine repentina tristitia afficiunt, etsi aliter quærant, propter proprium circà inferiora, quod habent, imperium, at crebro ab Angelis prohibentur, quibus iustè subsunt, nec si per-

permitterentur, opus diu duraret, ne eorum fraudes, ac technæ euulgarentur, vnde succedit, vt à flagitijs abstineamus, insita nobis verecundia, & animi imbecillitate, quò hęc continuo odio, atq; animi auersione quantum in nobis est, prosequamur, & itaque si Angelorum ad nos venientium promptitudo atque beneficium à paucissimis sentitur, nihil absurdum consequitur, pusillus enim est Dei timentium Grex, & non pauca malorum agmina sectantium animi passiones &c. Quò circà ne mireris, si non sentiuntur, cum vt sentiantur Ezechiam Regem imitari opus est, in parietem, dum ægrotaret, sese vertentem, ac Moysem dum à monte descenderet, aut Eliam pallio se ad Domini transitum operientem, sensus namque, qui tempori sabijcitur, ita rationi aduersatur, vt propter eius solutionem necessariò mentis ligatio succedat, & proinde quàm concinne referunt eas Angelos aures habere, quales habent nostri animi linguas, qui quidem aufugiunt à peccato, sicuti à fumo apes, vt à grauiolentia Columbæ, non quod his, cum spiritus sint, aliquid ex corpore contrarium sibi sentiant, sed quod eas res, quibus incumbunt, è regione oppugnant, itaque nemo peccatis inuolutus, Angelos statim ad se intus, vel exterius venientes animaduertit, quorum auxilium, vt antiqui innuerent, eos alatos pingebant in templorum valuis, ex quibus propterea Iacob plurimos vidit ascendentes per scalã tàm altam, vt Cœlum tangeret, quasi reportantes nostras orationes, & bona, malaque opera ad Deum, Deiqne ad nos opitulamenta, quæ si non semper sentimus nihil absurdum, vt dictum est sequitur, cum Angelus vel sub corporea immagine factus obuiam Balaam Ariolo nequaquam, ab eo visus, quoniam

pec-

peccator erat, nõ sentiebatur, & tamen sentiebatur ab Asina, qua vehebatur, latens fortasse vel aeris crassitie, vel phantasmate, organorumque immutatione, vel alio etiam modo nondum nobis manifesto ob eorum præstantem naturam, quo in animum agunt, ne cernamus; vti egerunt in Sodomitas eos cœcitate percutiendo &c. Sicuti eos quoque, quos Syriæ Rex miserat, dum Eliseum, ac Giezi eius puerum persequerentur, cuius oculi confestim Propheta Deũ orante æthereo sensu donati sunt, & statim multa Angelorum castra pro eis adstantium viderunt, quod si sæpè eorum tutela suspendi supernè mandatur, ob nostra delicta fit, vt his malis oppressi, facilè resipiscamus, elicit enim Deus ex malo bonum, & ex peccato prouentum, quandoquidem eorum pœnitentia gratiam maiorem, quam deperditam consequimur, ex quo perspicuum est, quod fertur verum esse vbi abundauit delictum, ibi superabundauit & gratia. Ad hæc Angeli nõ semper quęcũq; bona, quę procurant Vrbibus, Regionibus, & Regnis, succedunt, his præsertim, in quæ Deus animaduertit, vnde legitur, Curauimus Babylonem, & non est sanata, ab his non temerè emigrandum consulunt bonos viros; nam vbi Deus generali influentia castigat, illic frequenter boni trahuntur in rapinam vnà cum malis, non enim exiguum obstant loca tetra, & prophana, ne Angeli infortunia nobis instantia euitent pro eorum votis, namque non sine causa dictum est Abrahæ, vt à sua familia, & cognatione exiret; & Loth, vt cum sua coniuge, & filiabus Sodomam desereret: nec temerè non licebat proferri Dei nomen Iehoua alibi, quam in Sanctuario, nec etiam frustra prohibitum est tanta cum instantia, ne Deo sacrificium offerrent in loco

m pro-

prophano, quem Deus non eligeret, produnt namque bonos viros nunquam proficere in contaminatis locis, à quibus Platonici nos aufugere pro virili suadent, dum referunt ita corrumpi à pollutis locis puras, castasque hominum mentes, vt bonorum virorum mores à malorum consuetudine; nonnihil à recto, iustoque tramite exorbitant; nam vbi regnant delicta, ibi Dei maiestas soluitur, Angelorum protectio diminuitur, dæmonum augetur licentia, & potestas patrandi facinora maior permittitur, & tandem necessariò Dei vindicta consequitur, quam frequenter fieri consuetum est contra fideles per Angelos, sicuti peractum ferunt contra Adam, dum expelleretur à Paradiso per Vriel, quẽ ex his fuisse, quos Hebræi Bethelоim vocant, suspicio est, per quos vniuersam terram aqua opertam aiunt in diluuio refusa, non tantum ex imbribus, sed etiam ex Oceano, ac abysso, haud enim pluuia sola Terram cooperire poterat, vt quindecim cubitis supra altos montes extaret, etiamsi per bienniũ omnes Cæli catharactæ apertæ essent; omitto, quod Cęli nõ influant nisi per climata; quibus medijs etiã Gygãtes diuersis linguis percussi sunt, & Aegyptiorum primogenita perempta, & centum octuaginta millia Senacherib Assiriorum Regis interfecta, ac omnes Sodomitæ igne combusti, necnon & Maria in Moysen eius Germanum murmurans lepra polluta est, tametsi clam me non est, non paucos doctos opinari dæmones fuisse, & non Angelos, quorum opinio haud dissona videtur, quando aduersum tantum virum absque causa insusurraret, & ex Angelo etiam Dauid exercitus deletus est, propterea quod Dei populum numeraret; Angelique medio & Elias ignem è Cælo aduocauit, & quinquagenarios vnà cum militibus com-

combussit, pariter etiam & Zacharias mutus redditus, quod minimè crederet Elisabetham eius vxorem, cui iam muliebria defecerant, parituram præter naturæ ordinem filium, donec proprijs oculis eum natũ cerneret, eique nomen Ioannes inderet, & Iacob neruus non sine misterio hebetatus est, dum luctaretur cum Angelo; is enim erat Synagogæ typus, vt qui Esau custodiret typum Ecclesiæ, ob cuius tantam rem, vel adhuc Hebræi à neruo abstinent, necnon ex Angelo D. Hieronymus verberibus cæsus est, vt alibi dictum recordor, quod magis quàm Christiano conueniret Ciceroni, & Platoni studeret, &c. Quod etiam demonstratur per Esaiam Prophetam, quinimmò Prophetarum Euangelistam, dum ait; Scribe hunc virum sterilem, tantum namq; ignominiæ olim sterilitas ascribebatur, vt sterilium primitiæ à Sacerdotibus renuerentur: Vnde Mercurius Trismegistus prohibet, conuersari cum homine sterili: à Deo enim, vt à prima causa, & non à Cælo, materiaue, etsi concurrant, sterilitatem infligi in grauissimas pœnas tantum abest, vt in dubium reuocetur, vt sit luce meridiana clarius; nam magis influit prima causa in causatum, quam secunda, id patet ex familia regis Abimelech, cui Dominus omnium vuluas clausit, quod is in Saræ pudicitiam attentasset, nec ex eis vlla peperit, quousque Abraham pro eis oraret. Verum non sic euenit bonis viris, iustis, & pijs, de quibus dicitur; filii in circuitu mensæ tuæ, sicut nouellæ oliuarum. Per quos etiam Angelos, vel mortem inferri, nihil est quod repugnet, quoniam vel procedit ab homine, vel ab ipsa natura, vel à sydere, hoc enim triplici mortis genere animas à corporibus seiungi perhibent, semper Angeli ad eam concurrere videntur; aut enim

homicidia altius iussi non prohibent, aut quos custodiunt ægrotos propria virtute non sic confortant, vt naturalis calor infectos humores resoluat, expellatq; aut astrorum malignos influxus non impediunt, hoc mortis genus primum violentum nuncupant, secundũ naturale, tertium verò fato adscribunt, quod postremum mundum inuasit ob Nini idolatriam, vti non perperam subinnuit Epiphanius ex hoc dicto, & tunc mortuus est Aram ante Patrem, antea enim Deus suspenderat malignos Cęli influxus ob mortalium multiplicationem, veluti prohibuit nefandum vitium ante diluuium; quo infectos non abs re vocant diffidentiæ filios, vt & Idolatras infideles quamuis non probem, quod quidam volunt hos habere certum pignus suæ damnationis, præsertim si vltrà triginta tres annos perseuerent in hoc enormissimo vitio, tot enim annis pro eis Christus pœnitentiam fecit, cum semper peccator vsque ad vltimum spiritum possit per pœnitentiam resipisci, fateor tamen in maximo versari discrimine. Satis autem claret propter peccata mortem infligi, cum sit peccati stipendium, vt innui videtur per Danielem Prophetam referentem in Seniores Iudices, percutiat vos Angelus per medium hoc vestrũ iudicium: & ex Gregorij Dialogis, in quibus scribitur, Angelos sub corporeo velo proprium diem non paucis indixisse; quod etiam patet de Christo in Euangelio, vbi legitur, Vigilate, & orate, venit enim filius hominis, tanquam fur, sed non in corpore, vt sentit Dionysius Carthusianus, & Hebræi sibi somniant fieri ab Elia Carmeli incola in vnaquaque circumcisione, sed in spiritu; & quidam putant ministerio Angeli orbatum fuisse Dauid filiolo, quem tantopere amabat propter adulterium, quod commisit cũ

Ber-

Bersabee, & propter Vriæ homicidium, & Herodes etiam ex Angelo percussus est, ex quo Platonici referunt animas haud à corporibus facessere, nisi solutis quibusdam harmonicis numeris, quibus vinctos tradunt, quos à proprio genio solui miro quodam secreto cælitus iniuncto imaginantur, ad quorum quidem sententiam alludere videtur, quod scribunt, pios, ac sanctos viros raró in mortem non rapi, quasi in somnum, & è conuerso impios, & obstinatos, aut ab hac luce repentino interitu emigrare, aut moribundos maximis doloribus diù laborantes detineri, diceremus ab Angelo Custode, dæmonijs reluctantibus, id peragi, qui tunc, nè eos pœniteret, de repentè ex humanis abripi optarent, quòd minimè à recto tramite delirare dicunt, quandoquidem confirmari volunt ex Ecclesiæ authoritate, dicentis, Deus qui animam famuli tui emigrare ex hoc sæculo iussisti, Angelico scilicet medio, qui interdum dicitur Deus, & interdum Dominus, secundum propriam, quam referunt personam, quemadmodum satis perspicuum est ex Iacob, qui vocauit Angelum suum protectorem Deum, ex Moyse quem Scriptura perhibet cum Deo locutum; qui alius, quam Angelus non fuit, &c. Ex hoc enim dicto adduxit Dominus ad Adam, cuncta animalia, hoc est Angelus Domini, & ex hoc quoque, quod legitur in Euangelio, Apparuit Dominus in somno Ioseph, quorum opera factum est, vt vel ipsa animalia diuinas personas repræsentarent, vti patet ex Columba apparente, dum Christus baptizaretur, quæ Spiritum Sanctum retulit, & ex voce, quæ Patrem repræsentauit, dum resonaret, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite; hæc omnia, & pleraque alia eorum medio facta esse volunt, qui apprimè

primè

primè callent hieroglyphicarum litterarum eruditionem, dum ferunt Angelos multa effecisse, conuersos iam in aerem, iam in gemmas, aurum. & volucres, & in alia non pauca: veruntamen rarò, quos sub corporeo habitu puniunt, boni viri non sunt, ac Dei timentis, vt punitum aiunt D. Hieronymum, à quibus etiam interdum & bonos plexos legimus etiam sine vlla eorum culpa, quemadmodum peractum videtur per Sathanam contra Iob, Dei tamen permissu, in quem tanta mala patrauit; nec mirum, sapiunt enim penè aliquod bonum, cum earum causa non modò resipiscimus à culpa, sed saluamur à pœnis, interdumque ab omnibus, quibus obnoxij eramus, solum ob contritionem, quæ tanta esse potest, vt vel mors, quæ euitari nequit patientèr tolerata habeatur penè loco martirij. Et quamquam vterque Spiritus puniat Dei iussu, magna tamen inter vtrumque differentia est, punit enim Angelus ob charitatem missus à Deo, quo nos peccata abominando corrigamur; sed non ita dæmon, quoniam plexurus, semper nos astutia, doloque circumuenit ob odium, quo nos maximè prosequitur; sed id facit non tamquam nobis naturalis inimicus, cùm natura nihil oderit, substantia namque substantiæ non est contraria, sed vt voluntarius, ex inuidia, & odio; proinde coniectura consequi possumus eos haud delectari de damnatis cruciandis, nisi breui, & imaginario quodam gaudio, quia scilicet facti sunt de his voti compotes, ac vtique Deum execrantur, sed non vt Creatorem, cum nemo non esse natura appetat, neque esse possit sine Deo; sed vt sibi, quem falsò imaginantur, iniustum Iudicem propria, qua sunt malitia, & quamuis non omnes in Deum æqualiter inuehantur ob eorum inæqualem naturam, maioremque ini-

quita-

quitatem, tamen omnes odio in Deum conueniunt, non secus quam nostra memoria hæretici aduersus Summum Pontificem, alioquin summopere inter se differentes, &c. Id quod eò magis sic esse apparet, quod ibi tantùm Dei tortores sunt absque vllo, vel imaginario, ne dicam reali commodo, neque illis datur locus refocillationis, quòd si ita esset, daretur, quamuis apud nos contrarium contingat, cum eos imagine tenus gaudere posse ob nostram ruinā Theologi afferunt, sed hinc sibi, quasi turdus malum causat, cùm vel ex imaginaria lætitia æterna mala, quasi Cæcias nubes contrahant, ita Diuino iudicio exposcente, vt vnde imaginarium gaudium gauisi sunt, inde perpetuas, realesque pœnas sine fine luant. Verùm si infideles sunt à dæmonibus puniuntur, sed non cuncti; propterea quod qui magna authoritate eminent, rarò non castigantur ab Angelis, cum omnis potestas à Deo sit, quemadmodum Sacra Scriptura demonstrat Abimelech, ac Pharaonem, vtrosque Reges infideles, atque obstinatos peccatores, quod alter Saræ pudicitiam attentaret, & alter Dei populum iniustè detineret. Neque etiam semper castigantur à dæmonibus Regna, nec Regiones, nec Vrbes, ob præsidentes maiores Angelos, vti apertè videtur ex combustis Sodomitis per Angelos, & ex Senacheribi exercitu ad internecionem vsque perempto, cui mentum, & capillos abrasos Hebræi referunt in eius seruitutē. Neque etiam Religiosorum collegia, vt punitos legimus in Gallia D. Martini Cœnobitas, propter eorum corruptos mores, tametsi inficias non iuerim eos interdum à dæmone plexos, ne dicam posse, quod tunc succedit cùm à cunctis habitantibus Dei gratia floccipenditur, cuius cōtemptu ita Dei Numen subtrahitur,

tur,

tur, vt in reprobum sensum traditi, videntes minimè videant, ita Dei iustitia exigente, quo dæmones insurgant aduersos hoc modo peccantes atrocissimè vltores, &c. Rursus Angeli perfecta qua nos diligunt charitate non solum Deo porrigunt fidelium preces, eleemosynas, & vota, sed pro eis intercedunt; rogantque, tum maximè cum exaudiri agnoscunt, quod agunt, per quam læti, & exultabundi, veluti manifestatur ex Apocalypsi, in qua legitur, Ascendit fumus incensorum de oblationibus Sanctorum è manu Angeli; interdum etiam precantur, vel diuinam voluntatem nescientes, vt quousque Domine exercituum misereberis Hierusalem; Qui etiam crebrò in precibus effundendis opposita petunt, vt liquet ex Persarum Angelo, qui contendit cum Angelo Israelis viginti & vno diebus; Qui etiam assiduè exorant bona temporanea, vel pro his, qui extra Ecclesiam sunt, & nonnunquam æterna ex Dei nihilominus reuelatione, sicut claret ex Angelo alloquente Cornelium Centurionem, qui tunc Gentilis erat cum Idolatris, dum diceret orationes tuas, & eleemosynas exauditas esse coram Deo; quod ex Angelo factum etiam videtur Constantino, dum sibi Crucis imagine ostensum est se suos hostes debellaturum, quam propterea prohibuit, nè in posterum extaret in delinquentium pęnas; In quo nimirum colloquio sæpè intelligunt non parū hilares, eorum exaudiri desideria, qui naturali tantùm lumine Deum agnoscentes vti primam causam, ac eū propterea adorantes eripiuntur propter eius misericordiam ab infidelitate, non alitèr quàm cœci, dum illuminantur suprà eorum naturæ facultatem à perpetuis tenebris. Necnon & Vrbium, & Regionum ad fidei dispositionem propensarum vota agnoscunt,

gratiam,

gratiam, seu lumen perspicientes; nouosque habitus superinfusos quemadmodum demonstratur ex histo-rijs Messicanis, in quibus legitur Angelum quemdam Mallum consolatum fuisse, cũ eum ad perdendum in sacrificium traherent vehementer lacrymantem, dum ei diceret; vt à lacrymis desineret, propediem enim futurum, vt Deum Cæli, quem ipse toties acclama-rit omnium incolarum misereretur. Præterea Angeli vsque adeo nostra bona æterna peroptant, vt non modò nobis deuotè, rectèque orantibus assistant, & nos à malo continuè dehortantur; sed nos pro eorum virili ad ea consequenda iugiter signis, & inspiratio-nibus excitant, & in somno, & in vigilia, & ideò ra-rò euenit, vt qui in procinctu aliqua patrandi scelera, aut in euidenti moriendi discrimine versantur, non sentiant, ni peccato obdormiant, Angelorum inspira-tiones; & proinde sæpenumero visi sunt nobis instan-tibus periculis, vti adolescentes, qui faciem ostenden-do tantopere olim formidabantur, vt qui illos vide-bant sibi mortem imminere non dubitarent, vti cla-rum est ex Gedeone, qui vsque adeò timebat propter visum Angelum suum diem claudere, vt diceret, Heu me Domine Deus, quia vidi Angelum Domini de facie ad faciem, & manè moriemur, inquit vxori, quo-niam Angelum Domini, dum in flammam ascende-ret, vidimus, at non sic timebantur, dum terga osten-derent; altera enim re eos ad bona opera cohorta-bantur, & altera eis euidens, instansque periculum manifestabant: Quò forsan euenit, rarò non ostendi omnibus ferè moribundis proprium lethum signis, portentis, ac ostentis vel ab Angelis, vel à Sanctis no-stris tutelaribus, quibus quamquam Deus non vtatur nobis ad pœnas infligendas propter communem no-

ſtram naturam, ad percipiendam tamen gratiam crebrò vtitur, etſi infidelibus id à dæmonibus effectum fuiſſe proditum eſt, vt in ſuis ſcilicet ſuperſtitionibus perſiſterent, ſicuti effectum legimus in gentium hiſtorijs cum viris præſtantioribus, at ingratis, vti fuit Silla, Brutus, Iulianus, & alij, quibus plaudente dæmone ob eorum in authorem ingratitudinẽ vel mors, vel victoria à malo genio præmonſtrata fuit; quibuſdam verò nonnunquam Angelos pro alterius ſalute ſuccurrere facilè colligi poteſt ex vita D. Ludouici Beltrandi, in qua ſcribitur Angelum peregrino habitu apparentem cuidam Indo, cum vt ſuum filium tenellæ ætatis baptizandum Ludouico afferret vehemẽter hortatum eſſe, & ex viſione Angeli etiam D. Paulo dum in Troade concionaretur, oſtenſa ſub cuiuſdã Macedonis forma, ſe vt in Macedoniam pergeret cõfortantis. Atque interdum ex alijs euentibus, veluti apparuit Balthaſſari Babylonis Regi per manum ſcribentis in pariete; & Nabuchdonoſori, necnon & Pharaoni per ſomnia, quæ nulla arte conicctari poſſe, niſi ex Prophetis, Theologi nihil ambigunt, cùm Prophetia dumtaxat ex Dei reuelatione procedat, quæ naturæ lumen ſatis excedit; abſit enim, quod Philoſophi meditantur nobis concedi omnes Prophetas à Cęlorum conuerſione, & ab intelligentijs, cùm ſi ita foret, nulla ſæcula tranſirent abſque Prophetis; nec prophetia regnaſſet tam frequens in Iudæa ante Chriſti aduentum, cum Cælum non influit per tam diuturna tempora, nec tam continuè in vna Regione duraſſet, vti fiebat in Iudæa, ſed per diuerſa climata, & tempora, quocirca prophetia altius exiſtente, quàm à cæleſti conuerſione, cæcutit per ſe in eius lumine noſter intellectus, vt noctuæ oculi in Solis radijs, vſque

adeò

adeò eius signa, seu figuræ, difformi, remotaque analogia nostris rebus correspondent. Præterea Angeli adsunt cunctis fidelibus animam agentibus, vt si benè vixerint, eorum animas à corporibus seiunctas comitentur pro earum triumpho propter virtutis contactũ, quo ob præstantiorem naturam eas admodum refocillant, sicut comitatum legimus Lazarum, vt mortuus est Lazarus, & portatus ab Angelis in sinum Abrahæ, quemadmodum comitatam vidit D. Benedictus animam Sancti Germani, & animam Sancti Arnulphi B. Paphnutius, quam vel ex reuelatione agnouit, vel ex propria eiusdem corporis, à quo recessit imagine, quam Platonici omnibus neruis sic esse affirmant, à quibus minimè dissentiunt Thalmudistæ asserentes ita cognitam à Saule ex eadem figura Samuelis animam ab inferis reuocatam per Phitonissam; haud enim abnuunt animas ante annum reuocari posse; quas Angeli portant ad Paradisum, aut ad Purgatorium vbi pœnas dant semper ferè de peccatis mortalibus nondum plenè expiatis in hac vita, cum venialia quasi omnibus ob contritionem, quamuis minimam, ante earum à corpore discessum cuncta condonari piè dixerim, ne aliqua contritio esset, quę nihil pœnarum deleret, quod si alitèr eueniret vel ob inaduertentiam, vel ob repentinam mortem, tunc eorum culpam ibi remitti proprijs actibus, & Ecclesię comprecatione necesse est; tanto magis, quod venialia gratiam non auferunt, quamobrem verum redditur aliqua crimina in altero sæculo remitti. Quò frequenter vniuscuiusque Angeli Custodes descendunt, non quod illic eorum custodia necesse sit, cum animæ segregatæ nec peccare, nec sibi merere valeant, sed vt eas consolentur de durissimis tormentis, quæ

ab igne, vt diuinæ iustitiæ instrumento ad tempus patiuntur, quod non Cæli motus metitur, sed doloris conditio; quamobrem vel inferni tum intensius excedentia Angelorum accessu diminui referunt; subleuantur enim à dæmonum cachinnis, & subsannationibus, quas molestè ferunt, ac eò vt eas pęnas luentes derideant, crebrò illuc sese recipiunt; Quòd autem dæmones eò tendant propter animarum atrociorem afflictionem, nihil veritatem oppugnat, cùm pro pœnarum statu, locique ratione sint quodammodo in via, vt apparet ex precibus, quas Ecclesia fundit pro defunctis, dum audacter cantat, Libera Domine Iesu Christe Rex gloriæ animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu, libera eas de ore Leonis, ne absorbeat eas Tartarus, ne cadant in obscurum. Quò etiam se conferunt, vt eas tandem ab omni reatu expiatas stipent, & comitentur ad Paradisum, quorum contactu, quamuis earum essentia non illabantur, cum Dei tantummodo proprium sit, refocillantur; sed inde non prius eripientur, quàm harum vnaquęque astiterit ante Christi tribunal, iustum in eam iudicium exequentis, cuius fine percepto Angeli dicto citius id exequutioni demandant, tametsi nonnunquam miro quodam arcano id in tempore fieri tradunt, quo nos instruamur, vti promulgatur ex Historia Sācti Brunonis, & cuiusdam Parisiensis Iudicis, qui inter celebrandum eius exequias surgens è pheretro inquit se assistere coram Deo, exinde resurgens iudicari ait, tertiùm iusto Dei iudicio damnatum esse clamauit: Quòd Angelis comprobantibus peragi claret ex varijs imaginibus, quæ in diuersarum ædiū frontispicijs pinguntur, vbi cernere licet Michaelem animas trutina librantem, in qua

cerni-

cernitur gratiam, ac Spiritus Sancti opera ad sublimia efferre, at è conuersò peccata, & carnis illecebras ad inferna trahere, vbi perpetuò igni animæ cunctæ ardebunt: Verùm si fuerint infantum sine baptismate, ad Limbum; in quo olim deputabantur Patriarchæ ante Christi aduentum, quod Ligatorium nuncupant, vbi licet dæmones non deerunt, non tamen carebunt Angelica consolatione. Ex quibus profectò animabus interdum nonnullas, vel in via, vel alicubi deputatas à Sanctis liberari ferunt, vti ex Traiani anima patet, quam Diui Gregorij patrocinio liberatā prodit Ioannes Damascenus, atque ex illa etiam Dagoberti Gallorum Regis, quæ dum damnata portabatur ad inferos, vindicata est ab eorum manibus Sancti Dionysij suffragio; à Sanctis namque potissimum tutelaribus nos frequentius in gratuitis protegi, vt in naturalibus ab Angelis tradunt, qui pia tractarunt, alteros impellit generis similitudo, & Christi ratio, & alteros naturalis potestas, perfectaque charitas, qua nostros Custodes esse valdè gaudent. Adde, quòd Sanctorum animæ maiori ibi, quàm hic pollent charitate, quos vel viuentes hic pro nobis orare etiam Lutherani non denegant; hinc propterea non ab re viri pij consulunt, nos confessos vnumquemque suum protectorem suscipere, vt agunt Iesuitæ in suis Congregationibus, à qua quidem re quam impiè dissentiant Hæretici, dicto opus non est, cùm si hìc iusti existentes poterant pro alijs orare ob charitatem, cur in Patria, vbi perfecta charitate vigent non poterunt? poterunt, vti meridiana luce clarius demonstratur à Theologis, ac posse ab Ecclesia obseruatur, quæ à Spiritu Sancto recta errare non potest, atque ex Sacræ Scripturæ authoritate comprobatur, ex quo non te-

merè

merè post Christi mortem apparuerunt multa corpora Sanctorum in Sanctam Ciuitatem, vt nos scilicet se nostram salutem apprimè ob Christum curaturos admoneant,non aliter,quam apparuit Angelus Adæ delinquēti sub corporeo habitu,ne peccato desperaret, quod factum non est absque magno misterio, delinquentium enim conuersione Beati summoperè lętantur; gaudent namque Angeli super vno peccatore pęnitentiam agente tum charitate, tum etiam ex propriæ gloriæ augumento; sed quantum his sit augendum, nec verbo, nec opinione nobis consequi possibile est; quandoquidem eorum actiones à nobis satis distant, satisque diuersæ sunt, hi namque quo possunt conatu ad charitatem feruntur, sed vario, vt varia eorum forma existit, qua varij merendi actus enascūtur, &c. Cæterùm si non semper nos eorum tutelas percipimus, nos ipsi, vt alibi retulimus, ansam præbemus, qui eorum inspirationibus obluctamur, maximè quando sensibus indulgemus, de qua profectò re dolent, non tamen vt nos vniuoco dolore, cùm spiritus sint, sed propriæ voluntatis naturali renisu, quo legitur Angeli pacis amarè flebant, vbi reuera nunquam non lætantur, quod à dæmonibus procul abest, cùm semper à diuinis præceptis dissentiant,ac omni quantum possunt conamine in Deum impiè feruntur, magnisque cum execrationibus, ac blasphemijs, quæ contra se obueniunt inuiti tolerant. Amplius, Angelos inscrutabili Dei prouidentia nostræ custodiæ adscriptos, eorum persūncto officio, circa quos custodiebant, alijs custodiendis adscribi, quasi omnium Theologantium communis opinio est, à quorum custodia neque Antichristum, quoniam homo, nè iustè conqueri possit excludendum tradunt; Christus enim

dum-

dumtaxat quod natura peccare non poterat propter personalem vnionem exemptus est, quamuis vt homo haud caruit eorum ministerio ob corporeas commoditates, & Virgo Maria Dei Mater, gratia ab omni labe etiam originali præseruata, cui astiterunt, non vt eam à peccatis dissuaderent, sed vt eam illuminando amplius mereret, cuius prætereà filium Caietanus prodit mũdatum fuisse Angelico medio sine vllo abluuio, ne eius mens Deum laudare distraheretur de tanto contemplando Sacramento; quos propterea astitisse in eius morte, non vt dæmones arcerent ab interiore tentatione, cùm sic eam tentare non possent, nec in eius cadauere, sicuti assistunt in alijs, cùm nunquam eis obnoxia extiterit, at vt ad Paradisum ceu supremam eorum, nostramque Reginam concomitarētur; cuius gratia maiore gloria eos auctos dicerem, qui nobis assignantur custodiendis, non vt Beatorum sedes expleantur, cum Angelorum ruina non fuerit causa nostræ creationis, vt nonnulli suspicantur. quandoquidem cum quatuor coœua concreata fuisse obnixè contendat Magnus Albertus, naturam Angelicam, Cælum empyreum, æuum, & materiam primam, hanc vltimam in cassum creatam dicerem, si meliores, quas posset, formas minimè susciperet, quod non succederet, nisi homo crearetur, propter quem cuncta facta videntur, an materiam dixeris factam absq; eo, quod hac forma omnium optima informaretur? absit cum vnumquodque tale, & illud magis. Sed redeundo vnde recessimus dicam non illibenter Angelos peracta circa quos custodiebant protectione aliorum custodiæ adscribi, licet id abneget Iustinus Martyr, qui vult eos post primam custodiam defunctorum animas comitari, aliaque misteria exercere, cuius sententiæ

& alij

& alij subscribunt: nemo enim adeò delirat, vt asseclis prorsus careat. Verùm aliter rem se habere opinor, quandoquidem si ita esset, non omnes Angelos, quos habuimus Custodes, haberemus conregnatores propter grandem præscitorum numerum, proinde nullo pacto eorum votis standum iudico, qui eorum sententiæ inhærent; sed dicerem tunc Angelos à particulari cura desistere, vbi nonnulli, quos custodiebant superstites euaserint, vt saltim nobiscum conregnent, non quod eorum numerus nobis vndique congruat, cum de prædestinatis dicatur, Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ad quam profectò rem videbatur alludere D. Thomas, dum inquit dedecere indiuidua à speciebus superari, qui propterea non priuantur accidentarijs meritis, vbi Deus continuè eis vtatur circa diuersa, quæ contingunt ministeria, vti cernere licet ex maxima eorum caterua sub militum imagine apparentium Heliseo, ac eius puero Giezi, eos à persequenti hoste protegentium, ac ex his, quos Iacob aspexit ceu pueros specie pulcherrimos ascendentes, & descendentes ex scala, quæ tam alta erat, vt Cælum tangeret, atque ex ea cælestis militiæ turba Deum laudantium propter Christi natiuitatem, & ex eo etiam, quod ostendere videtur noster Saluator suis discipulis, dum referens se non inuitum nocentium manibus tradendum, se posse Patrem plusquam duodecim legiones Angelorum exorare, vt seipsum tuerentur, qui ex alijs, quam ex his, qui custodiæ munere perfuncti forent, haud accipiendi erant propter eorum propria officia, cùm si aliter esset, aut eorum numerus esset infinitus, quod creaturis concedendum non est, aut hi essent suscipiendi à mortalium custodia, quos quasi orphanos deserere,

non

non conueniret ob magna pericula à dæmonibus his instantia; hoc magis, quod ea, quæ à Deo procedunt sine ordine non sunt; aut si sic foret, sequeretur. excubiarum ergo munere completo, eo modo, quo dictum est, frequenter nos protegunt à dæmonum cœtu in aliquo regionis tractu immorantium ob mortaliũ stragem infausto, aut in sepulchris, & præruptis, horrendisque locis, in quibus ne dæmones malefaciant sæpè inueniuntur, siue liberi deseruntur noxam ad tempus structuri, &c. Propterea quod hæc vel aspectu horrenda ne dicam ex Angelorum absentia, valdè idonea sunt ad patranda continua, quæ machinantur mala, vbi rarò noctu, quando tenebrarum filij magis præualent non insiliunt in tam tetris locis prætereuntes horribilibus fragoribus, subitaneis terriculamentis, & tenebrosis phantasmatibus, quæ haud ab animabus, quas Hebræi Nephesc vocant, aliqua labe pollutis patrantur; vt Pythagorici, ac Platonici sibi credunt, quas propterea suos peremptores tanto odio prosequi perhibent, vt earum cadauera sanguinem contra præsentes homicidas effundant, à quibus nihil discrepant Arabes, dum putant animas pati ex proprijs cadaueribus, decepti forsan à Thalmudistis, qui idem meditantur propter nonnullas huiusmodi illusiones ibi crebrò visas, cum animæ separatæ non sæuiant aduersus propriam speciem, nec corpora moueant præterquam quæ informant; & ideò dæmones aucti malefaciendi viribus sæpè in his sese diuersis obijciunt, vt mala obstrusa vtique sæuiora, quam quæ manifesta sunt; haud namque aliquid agunt absq; nostri excidij proposito, quemadmodum non ita pridem successit in monte Bello, per quædam lumina, quæ diù conspecta à plerisque prius hominum non

parua luc, & postea frequentiori latronum acie grassantium, rura, ne dicam viatores, eius ruinam attulerunt; quæ cum incertis quibusdam nostræ regionis tractibus eadem apparerent singulis ferè noctibus in plenilunio, nedũ in eius defectu, ac silentio, quãdo miro quodam secreto dæmones magis præualent, vdo quã sudo aere, valde verendum est de aliquo instanti, grãdique, quod Deus auertat, infortunio, quod videtur adesse præ foribus, & pro hominum discordia, & pro magistratuum auaritia, qui hic apud nos potius emolumenta, quam iustitiæ zelum intendunt; sed quid mirum? vbi omnia quasi præposterè Principe iustissimo se habeant, præmium enim, & non meritum in rebus distribuendis exquiritur; hisce horribilibus portentis, admirandisque scintillationibus, & diuersis propter ignis naturam motibus vehementer inspectores perterrentur, apparent namque hæc phanatica lumina, iam subobscura, iam satis lucida tantæ interdum magnitudinis, vt Lunam repræsentent, & interdum tam paruula, vt vix referant Galli oculum; nunc in plures faces diuisa iam humi sese mouentia, iam in aere vti volitantia, iam diu temporis immobilia sub diuersa figura triangulari, & quadrangulari, referunt quasdam vmbras, quasi hominum pyrronica saltatione salientium intra semetipsa; horresco dicere cuncta, quæ conspeximus, ex quibus tam mirificis, fidis tamen illusionibus, rarò immensus non innuitur timor prætereuntibus, præsertim in eorum solitudine, vti nos certo scimus, qui de cunctis, quæ proprijs oculis cernimus cũ sæpenumero id obseruauerimus, quem pam libellum intendimus, cuius rei figuram non ipsi effinximus, Regique nostro Philippo Secundo destinauimus, quare non potuerunt cuncti eam inspicientes

cientes non admodum mirari hos anteambulones ignes, an ab vno dæmone excitentur ob vnum effectum? an à pluribus ob varias illusiones? illis tantummodo clarum est, qui serio in sacris litteris versatisunt; &c. Ob quam rem ferunt nostri seniores, cum diù sic apparerent erectum fuisse vix quatuor sæculis elapsis quoddam superbum Templum Virgini Deiparæ vulgo de Pesata nuncupatum, multis Sanctorum reliquijs plenum, & auctum opulentis vectigalibus, quò statim hi phanatici ignes euanuerunt; factus est enim huiusmodi locus adeò religiosus, vt vel ex eius intuitu augeretur visitantibus deuotio; sed nunc, proh hominum fidem, ita iacet ruina dirutum, vt vix quod fuit conijci possit, nec sine lacrymis considerari, ablata enim est frequens populi visitatio, ac concursus peregrinorum, vota quotannis offerentium prorsus destitit; idcircò hæc lumina nobis calamitates, & ruinas minari suspicarer, & tanto magis, quod Dei contemptus nullum non malum non procurat, Veruntamen vt oratio intentum finem consequatur, dicam libentissimè hæc omnia prophana loca Sanctorum sacellis, & imaginibus, expiationis aqua, Domini nostri Cruce † Sanctissimâ, orationibus, votis, & ieiunijs, Græcos, quibus hæc Ciuitas originem acceptam refert, expiare solitos, haud namque clam eis erat dæmones nisi illinc arceantur, vires, vt in proprijs locis, quotidie maiores acquirere ad patranda peiora facinora; nec mira res, loca enim destituuntur propter peccantium flagitia Angelorum tutamine; non enim ab re Apostoli iussi sunt, vt puluerem à proprijs pedibus excuterent, ac terga verterent vbi Euangelium intelligere renuebant. neque sine misterio legitur in Euangelio Christum nostrum Saluatorem in

 Sepul-

Sepulchro,quod erat nouum, depositum;ex hoc enim manifestatur eum nihil huius Mundi Principi debuisse; extitit namque ab omni corruptione immunis,neque hoc sine causa, ea namque mala perpessus est, quæ propria voluntate patiendo, & nobis salutem, & sibi nomen supra omne nomen meruit, quo Deus vocaretur, quocirca dictum est, Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem;etenim carnem assumpsit, non vti nos peccatricem, licet peccato non dissimilem, & propterea moriendo mortem destruxit, & nos, & nostras pœnas fide deificauit: his enim in locis, sic pollutis, dæmones, vt sibi proprijs, & noxijs versari aiunt, vt inexpiatis, & in sacris verò Angelos, ex quibus fuerunt, qui Loth cũ filiabus à Sodomeo incẽdio vindicarunt, & quos Abraham tres vidit sub meridie, & vnum adorauit, cum postea ad vesperas duo apparerent,dum ad castigandos Sodomitas pergerent, non absque misterio, vti & is, qui ad locum ascendit, qui flentium dictus est, ob quas Israel lacrymas fuderat, Deique beneficia exprobans ait, quoniam eius pactũ irritum egerat, propterea suos hostes prorsus non deleuisse; quo eorum Dij ipsi essent ruinæ, &c. Necnon & is, qui Isaac à mortis discrimine liberauit Abrahæ manum, nè eum mactaret, impediens, & quem Iacob præsto habuit, vt ab Esau, si necessarium foret, defenderet, & etiam qui coruum duxit,vt panem ad Eliam Prophetam afferret, dum impiam Iezabelem aufugeret, & qui eum transtulit igneo curru in terrestem Paradisum, sicuti prius fecerat de Enoch, cuius etiam ministerio Eliseus duplicem spiritum consequutus est rei, & significati, vt & qui Thobiæ filium ad Ragem vsque comitatus est, & is, qui Iudith ad Holofernem sospitem euntem, & redeuntem, atque

is

is etiam, qui Abacuch per aerem capillis, grauitate suspensa, transportauit à Iudæa in Chaldæam ad Danielem in lacu existentem, & Leonum ora clausit, ne contra eum sæuirent, & qui Philippum transtulit ex Azoto, & Apostolos ex varijs, atque diuersis Regionibus, vt omnes Virgini ex humanis emigranti adessent; sic etiam dicerem de eo, qui effecit ne ignis tres pueros Babilone combureret in fornacem iniectos, quo deperderentur, atque itidem qui tubarum clangore prostrauit Hierecuntis muros, necnon & qui egit ne rubus, quem Moyses ardentem viderat, consumaretur, & qui persuaserat, vt omnes in Christum credentes sese reciperent ad Agrippæ Regnum, propter Dei furorem contra impios Iudæos, omni perfidia perfidiores, & qui materiam disposuit, vt quidam mortuus tangens defunctum Eliseum reuiuisceret, necnon & qui fecit, vt ignis deiectus à Sacerdotibus in puteum, pergentibus in Persidem, conuersus in crassam aquam lapides, ne dicam sacrificia, adureret. Mirari profectò rem è proprijs rerum formis actiones suspendi per Angelos cum miracula creaturæ propria facultate efficere non valent, vbi Deum tantummodo authorem habeant, & in rebus aliter quam existunt peraguntur; Deus namque cuius proprium est miracula agere his concedit, vt solum materiam adaptando, tantæ rei fiant cooperatores, quòd etiam fieri assolet, vbi diuina misteria, ad quæ propria potestate perueniri non potest, nobis panduntur, in quibus quoniam cælestia dona sunt in fidei testimonium, acta, aut in exercitium, Deus dæmonibus non vtitur, sicuti nec in gratuitis ne eorum, qui sunt malæ voluntatis vel testimonio, vel medio vtatur; hanc tamen virtutem cooperandi ad eius miracula nobis voluit,

tos Cæli propitium influxum suscepere, non vt sigillos, vel figuras, sed vt materiam; quod non denegat, nullo nixus fundamento Caietanus, ex quo nostra corpora cælesti harmoniæ correspondere ferunt; & Archippus Magus rerum naturalium scientia vitam duxit vltra communem metam. Verùm reuertor vnde discessi, dicamque perlibenter non sic fuisse Angelum, cuius opera Elias sic clausit Cælum contra causas secundas, ne per biennium plueret, nec eum, per quem Iosuè Solem firmauit, dum præliaretur contra hostes, nec eum quoque, per quem eius radij retenti sunt in morte Domini Nostri Iesu Christi nè lucerent, aut propterea Luna nobis retrogrado cursu mota, quo Hebræi Nostrum Cratorem, ac Redemptorem, quem crucifigebant cognoscereut, & amplecterentur, vti nec eos, quorum medio D. Catharinæ corpus Alexandria in Montem Synam transportatum est, & ædes Virginis primùm ex Iudæa in Illyriam, & postea in Picenum Rodulpho Imperatore, translatæ sunt, etenim magna facta magnos requirunt exequutores, & proinde euenit, vt qui aliqua dignitate præstant, atque de ente amplius participant, opus habent, vt Archangeli, quò maiorem influentiam sibi sortiantur, accedant, ad quos accedunt, cum primum potestatem ineunt, quò publicum, ac salutare bonum ritè disponant, quos haud continuè assistere, sed mutari quidam volunt, vt eorum dominia mutarentur, & idcircò haud æquales esse Archangelum, qui præest Archimandritæ, & qui Summo Pontifici, vti nec qui præsunt Regibus, & Imperatoribus, vt qui præsunt diuitibus, & Regulis, qui tamen in causa sunt, vt Summus Pontifex, cæterique omnes Prælati, & Principes vsque adeò à subditis formidentur, vt Alexander

xander Magnus Iaddonem summum Sacerdotem equo desiliens cernuus adorauerit, quamuis Thalmudistæ referant, id fecisse ob nomen quod gerebat in cidari, quo fulgente supra Ephod in duodecim gemmis tradunt Hebræi crebro eorum Sacerdotes intellexisse certos rerum successus per prophetiam, quam vocant Vrim, & Tummim vti factum produnt ad Dauid ex Abiathar sacerdote, qui etiam ansam præbuerunt, vt Attila Hunnorum Rex, qui Dei flagellum dictus tantopere Leonem Summum Pontificem metueret, vt eius iussa capessens ne ad Vrbem tenderet libenter pareret &c. Idem quoque actum legimus ab eodem dum Beato Lupo Trecensi Præsidi obediret iubenti vt à Gallia discederet; quoddam simile Platonici sentiunt, dum narrant varios genios nobis ex genesi exhiberi, quorum qui sortitus est inferiorem timet eum, cui superior genius assistit, vt narratur de Marco Antonio, qui ob id Augustum timebat, & de Francisco Primo Francorum Rege, qui palam dicebat Carolum Quintum se superiorem nosse. Sed vt redeamus ad Angelos, hi non solum viros pios, quibus assistebant venerabiles reddebant, itaut sermone cæteros ad se trahebant, sed etiam indumentis virtute ab eisdem influxa, sicuti actum perhibent ex Elia Propheta proprio, quo vtebatur, pallio ad Eliseum proiecto, quo statim boues arantes deseruit, atque eum secutus est, & ex Diuo Bernardo proprio baculo, quo inuitus Dæmon expulsus est à quadam puella, quam diù infestauerat, ac etiam à Domino Nostro proprijs fimbrijs per quas omnes eas tangentes actutum sanabantur, &c. Verumtamen ne ab intento themate egrediamur, firmiter inhærendum videtur Angelos Regibus, vel Infidelibus præsidentes,

non enim eis desunt, vbi omnis potestas à Deo sit, curare non tantum, vt iustè regant, sed vt ne quantas velint noxas populis inferant, qui nisi hoc egerint populorum peccatis ascribendum videtur; quibus ita Dei gratia propter scelera subtrahitur, vt neque si verba apertè facerent, auscultarentur, quinimo nec si Iupiter (quod aiunt) in aures intonaret, perciperetur ab huiusmodi infatuatis populis: non aliter quam ingentia Iudęorum flagitia causa erant, quo minus Prophetæ concionando intelligerentur, atquè adeò vt Christus os suum aperiret in parabolis, & in ænigmatibus, atque vt resurgens varius diuersusquè suis discipulis appareret, iuxta dispositionem eorum variam, apparent namque diuina sub nostra mentis imagine, ac dispositione, ex quo etiam crebro factum referunt, vt sapientęs in consilijs, quod ante benè nouerant, perperam decernerent, neque propterea aliquid absonum dixi, quoniam ipsis in rebus particularibus, ne ipsi errores paterentur, altioribus donis opus est, vt erudiantur; ergò Principes, & Iudices animo sapiant, vt rite pro æternis rationibus gubernent, quoniam ob Dauid peccatum Deus castigauit populum, ipso tamen haud impunè ferente, neque ab re; Principum namquè vitia paucissimi sunt, qui non amplexentur, neque velim ex hoc frontem caperent, qui alijs præsunt quasi dixerim indecorum aliquid, vbi vix quicquam reperiatur quod magis populos moueat, quam magnatum exempla, quibus propterea, vt iustę regnent, vitamquè ducant pro æternis rationibus, Archangeli eos illuminantes dati sunt, quo fit, vt ne Antichristus hoc Angelo priuabitur, neque profectò sine causa, eius namque regiminis ætate non deerit iuris dicendi obseruatio in cau-

causis forensibus, aut rectius inquam eius iuris imago etenim tunc vigebunt maiores, & plures, quam alias vnquam, lites, rixæ, fraudes, doli, concussiones, illusiones, præuaricationes, aliaquè huiusmodi mala, ob Dæmonum tunc largum imperium, quibus sæuire in omnes optimo iure datum est, soluti enim erunt ab Inferis, ex quo Regna, & Reges aliud non erunt quam furta, & latrocinia, erit namque pecunia rerum Domina, & cuncta vbique venalia; non enim absque secreto Sybilla exclamat se nolle tum viuere, cum hylara imperitarit, & proinde nisi Angelus eis assisteret nihil ordinis in rebus staret, nec aliquid Iustitiæ genus obseruari verè posset, imò neq; vita vllo modo duci ob solutos tunc Dæmones, diuersis phantasmatibus homines affligentes, ac defatigantes ob ipsorum auctam in eos potestatem, qui tamen iam non degent, vt feræ in nemore, aut in mari pisces, ita vt penitus se ratione præditos obliuiscantur, alijsque benefaciendi natura obnoxios esse, tametsi carnis opera, tunc magis, quam aliàs sectabuntur; & mundus amplius placebit propter plures eius excellentias, quibus summopere sensus oblectatur, sed quid mirum? regnabit namq; tum omnium, qui sensibus erit maximè addictus malorum caput, perditionis filius, & iniquitatis, errorumquè magister, his enim epithetis nuncupatur hæc bellua, qua mortalium nemo esse potest, qui plura flagitia patraturus sit, sedebit enim in Dei Templo impudentius tanquam Deus, vbi scelestissimus sit, quinimò ipsummet scelus, nequè quasi Deum adorari se renuet, ad quod tantum facinus muneribus, atquè adulationibus, & quod peius est minis, & tormentis perinde adiget, quos sibi reluctari videbit, vt etiam electi, nisi dies abbreuiati fuissent, periclitari dican-

tur, quem non propterea referunt omnium commissurum maximum crimen, cum id commissum videatur à Pontificibus, & à Iuda, quandoquidem Christum cognoscendo cruci tradiderunt, nec non & à Lucifero ob eius prȩstantiorem naturam, nihilominus non est, quod non erit maximus peccator, vbi nihil mali sit quod non committat, vel per se, vel per suos ministros hæc bestia, sic D. Ioannes hominem appellat in Apocalypsi inquiens, numerus bestiæ numerus hominis est sexcentum sexaginta sex Cabalistarum more. Insuper mittuntur Archangeli ad bonum denuntiandū varij, vt eorum varia sunt, ad quæ destinantur officia, talis est, qui Iosepho apparuit in somnis, quem Gabrielem Origenes appellat, cuius nomen Dei fortitudinem sonat, eo quod eius Sacramentum aperuit, qui aereas potestates debellaturus erat, quem etiam mitti aiunt ad euigilantes Ecclesiæ Pastores, nec non & ad fundatores Collegiorum tam velociter, vt opus est, accurrentem, vt cum ex alatis antiqui pinxerunt, ac etiam qui purgauit Isaiæ labia, quem ob intensam charitatem Seraphim nominat, non quod ex prima Hierarchia, & ordine fuerit, sed quod effectus est Seraphici Chori particeps, cum illi ad exteriora opera minime destinentur, & si ex priuilegio, vti fuit qui missus est B. V. ad tantum mysterium denunciandum, vt pote nihil mirabilius est ex cunctis Dei operibus nonnisi à primæ hierarchiȩ Angelo significandum fuit, vt nobis immensum, quo nos Deus, amorem prosequutus est, ostenderet ob hanc hypostaticam vnionem, in qua vt optimum sese communicauit, ob quam, quod Adam sibi, & nobis perdidit delusus à Lucifero, tandem nos consequeremur hoc Angelo nobilissimo internuntio Sanctissima Virgine Dei matre tantam gratiam

humiliter acceptante, qua Satanas vinceretur morte eius filii à Dęmone temerè procurata, vbi nihil deberet, ò miram Dei sapientiam, Diabolum, qui pulchri specie nostros protoparentes deceperat; decipi re sibi pulchriori apparente, cum intrinsecus turpissima foret, nam quid turpius, quam iustum, & innocentem morti condemnare, ac Deum crucifigere Creatorem, ac Redemptorem? nec aliquid impedimento est, quod hic Angelus Gabriel appellatus sit, qui ex Archangelis est Angeli enim ab effectu ad quem destinantur nomina sibi asciscunt, ex quo agitur vt is Angelus, qui Tobiam à cæcitate sanauit, vocatus sit Raphael, quo etiam nomine existit vnus ex septem Ecclesiæ astantibus, quos nonnulli pij viri, suo arbitratu & quadam allusione vti alibi diximus (nam Ecclesia non agnoscit nisi nomina trium, qui in primo loco numerantur) hisce nominibus vocarunt, Gabriel, Michael, Raphael, Vriel nec non & Salathiel, Zeadel, atquè Barchiel, per quos eam gubernari produnt, qui abdita tractarunt, vti mundum per septem planetas, quos Moyses, qui in gratiæ arcanis sciendis omnes prophetas superauit, clarè subinnuit per septem candelabra ante Dei altare, noctu, diuquè ardentia; quorum nomina valent apud nos quantum Dei virtus, potestas, medela, ignis, quies, laus, & benedictio &c. Sed vt ad rem à qua recessi, reuertar, libenti animo dicam Raphaelem connubio coniunxisse Tobiam cum Sara, sed nihil mirandum, cum matrimonio Angelorum medio celebrari satis perspicuum sit ex hoc dicto nostri Saluatoris, quos Deus coniunxit homo non separet, quod etiam patet ex Angelo, qui Eleazarum Abrahæ seruum deduxit ad accipiendam Vxorem filiam Domini sui Isaac. Hoc amplius Deus summa-

prouidentia iussit, vt diuersi Angeli assisterent diuersis Regnis, Regionibus, Vrbibus, Oppidis atquè familijs, ex his quos Principatus appellant, vti manifestatur in Genesi, vbi legitur, cum diuideret excelsus gentes, statuit earum terminos secundum numerum Angelorum, atque etiam ex Angelo, qui Persis præerat, præliante cum Angelo Israelis viginti vnoquoque diebus, vt alibi adnotauimus tamdiu propter varia, ac diuersa iudicia, quæ in Prouincijs requiruntur, pro meritis, & demeritis, eorumquè varijs qualitatum gradibus disquirendis, quos Angeli per se haud scire possunt, nisi Christum consulant, cui Pater dedit omne iudicium, ex quo in porrigendis precibus, votisque impetrandis mutuo se alter alterum impedire dicuntur, quod ideo tunc agebant, quoniam qui Israeli præerat ei libertatem assequendam magnopere curabat, sed qui erat à Persis, renuebat, non quod alter alteri inuideret, cum omnes Angeli summam, ac perfectam inter se charitatem habeant, sed quod vtriq; genti sibi commissæ bonum intendentes, vnus Israelem in Perside detineri peroptabat, tum ob temporanea bona, tum etiam ob æterna, quæ eorum consuetudine assequi poterant, sperabat enim qui Persas protegebat aliquos ex his proselitos propter Israelis conuersationem euasuros, alter vero, qui pro Israele erat timebat nonnullos Israelitas corrumpi ob Persarum conuersationem, corrumpunt namque bonos mores colloquia praua, erat enim Israel tunc impendio procliuis ad Idolatriam, quoniam nondum venerat Messias in cuius aduentu omnia Idola casura erant, proinde nunquam destitere à prælio, donec perciperent, quid Deus mandabat, qui in propriam regionem Israelem reduci volebat, neque ex hoc certamine quicquam

mali

mali patrauerunt, cum quid Deus iniungeret nescirent, neque alter, qui voti compos factus est victo aliquid maius meritum consequutus est, ambo enim populis sibi commissis benefacere quantum poterant ex charitate enitebantur, quia ambo bonos nacti animos aliquid amplius meruerunt, non tamen meritum, quod Theologi essentiale nuncupant, quod statim post eorum confirmationem consequi sunt, sed accidentarium, quod semper consequentur, dum huius sæculi facies durabit, verum omnes ferè inæquale prò inæquali eorum natura, ac charitate, iudicat enim Deus qui est scrutator cordis rem magis ab interiori, quam exteriori actu, quod tamen non statim post factum consequentur; haud enim mercenarius dignus est vltima mercede, nisi opere perfecto, nec victus tristatur ob vincentem, cum à Dei iussis non id faceßant, imo vtrique astant promptiores, & animo stabiliores ad ea exequenda, quamuis quoniam nescij quid Deus iuberet, contrarium velle videbantur, alioqui enim, ne hylum quidem à diuinis placitis recedunt, sicuti Beati, quibus certè quod hic nequit iuxta naturam non displicere, ibi non potest non placere, veluti apparet ex beatis parentibus, & damnatis liberis, quorum alij aliorum cruciatu vehementer gaudent ob diuinam Iustitiam, quam in eos exequi vident. Qui planè Principatus licet sint ex vno ordine, nihilominus non omnes æquali pollent dignitate; sicut nec Archangeli, nec alij etiam, cum qui Regnis, & Prouincijs præsident ampliori potestate vigeant, quam qui assistunt Vrbibus, & Oppidis quinimò, vt prestant regna, & Prouinciæ inter se, ita & Angeli his presidentes, alij alios nobilitate excellunt, non alitèr quam nostri magistratus, ac Rectores, hunc enim mundum sensibilem intelle-

tellectibilis instar gubernari dubium non est, qui tamen, vt volunt aliqui, non tamdiu in regione persistunt, vt agunt intelligentiæ in Cęlis mouendis, cum inæqualia tempora in eorum pręfecturis vtique obseruent; quorum obseruatione Regna eriguntur, vt contemptu deperduntur, non enim diuinæ prouidentiæ conuenire videtur, vt ipsemet Angelus, qui olim præsidebat Iudæorum synagogę, is eidem præsideat nostra tempestate, quem propterea mutatum esse, vt Ecclesiæ assistere secretiores Philosophi meditantur; veluti minimè conuenit, eum qui primum Græcis assistebat, nunc assisteret his sub Turcarum seruitute, & sub eorum schismate ab Ecclesia, quem iam tunc mutatum conijcere possumus, cum hi Ecclesiæ patrocinari, vt moris erat, penitus desiuerint, quem ad Francos accessisse nonnullorum suspicio est, qui eius authoritatem adeò magnificarunt, vt velint nunquam eos sub illius tutela à fide prorsus defuturos, vt accepit D. Humbertus, atque adeò vt illius gentis Reges vbi toties fidem iuuerint, & auxerint non modo meruerint, vt Christianissimi nuncupentur, sed vt quicunq; pro eis orarent, decem dierum, vt quidam tradunt, Indulgentias consequerentur, idquè non temerè cum adhuc gentiles Ecclesiæ sacrificandi libertatem concesserint, omnemque Tyrannidem à Gallia, atque ab Italia, quam Barbari introduxerant proprio sanguine pepulerint, quo factum est, vt qui ab onere immunes effecti sunt, Francos apud nos vocari vsurpatum est, à quibus Turcas ad Rhenum debellandos esse ijdem scribunt, cum humanis viribus debellari minimè apparuerint, imo eosdem pro fide cum Antichristo certaturos affirmant, atque hunc Angelum Michaelem existere suspicantur, nequè qui præsident Parisijs,

& Ve-

& Venetijs (quas ab Antichristo, animarum tyranno, immunes referunt, non tamen à postremo, plures enim aiunt futuros Antichristos; hoc est Antechristi anteambulones, qui in sacris literis, & à SS. Patribus nomine Antichristi nuncupantur) coęquantur cum his, qui præsident Puteolis, & Hidrunto. Sed omnia hæc dicta sunt ab aliquibus potius piè, & probabilitèr, quam cum fundamento. Hos autem Angelos mutari probant ex Angeli palæstra cum Iacob, qui eo quod propè auroram esset, instanter quæsiuit ab eo, vt dimitteretur, ex his namq; erat, qui contrà Dœmones excubans iam suas vigilias compleuerat, quos tertia quaque hora diei, & noctis mutari opinantur Cabalistæ; quorum opiniones refero quidem, sed non prorsus probo, nisi eas, quæ sacris literis, & nostræ fidei dogmatis non repugnant, vt alibi monuimus &c. Neq; hinc inquiunt, vlla te, benigne Lector, admirandi occasio surripiat, quod tempora in his mutandis obseruentur; cum si eorum custodiæ, quæ ad tempus præfixæ sunt non mutarentur; aut saltem à nostra protectione non desisterent, nunquam, non modo Regna, & Regiones, sed nec rura, nec vllæ quidem domus, quinimo nec homines, aliqua insignia detrimenta paterentur, ne dum vltimum damnum, vbi vel nostri capilli numerati sint, ac nostræ vitæ termini instituti, quod perspicuum apparet ex Angelorum clamore Hierosolymis in templo percepto, anteaquam eam Titus expugnaret, emigremus hinc, quo audito Iudæi ita animò consternati sunt, vt mox eorum Vrbs diruta sit, quod etiam apparet ex templi porta ferrea, quę noctu spontè patuit, cum eam vix duo robustissimi homines aperire satis erant &c. Itidem ex ea voce audita Florentiæ nocte intempesta ter, pax, resonante, quæ

è vestigio conclusa est cum Gregorio VIII. Summo Pontifice. A quibus quidem Angelis plerosq; defensos in vrgentissimis discriminibus lectitauimus, vt & à Sanctis, vt claret ex D. Iacobo, qui pro Hispanis in Mauros sæpenumero certasse visus est; & ex Sancto Ambrosio, quem Friderico Imperatori mortem minatum, dum Mediolanum depopulari sibi decretum esset, legimus in historijs, atque ex Sancto Felice, quem Nolanos contrà Barbaros iuuisse aiunt; hoc actum perhibent, vt nos eos hic agnoscendo defensores nostros penes Deum intercessores veneremur, & imitemur in cęteris, cum nihil sit quod his rogantibus haud consequamur, dummodo expediat, quibus hunc mundum regere datum est, ob eorum excellentiorem naturam, cuique nostro commodo sibi commisso incumbunt; quod nisi agant, propria flagitia grandiora, quàm vt veniam mereant, in causa sunt, vt alias narratum est; siquidem ob scelera crebro nos Angeli protegere desistunt, regnant enim aduersa propter peccata populi, quæ interdum adeò enormia sunt, vt ad Dominum Cœli clamitare dicantur, quorum propterea ablato tutamine ità Barbarorum manibus traduntur, vt non Regna, sed heu miserùm, aperta latrocinia dixeris, viuitur namque ferarum more sine Iustitia, quæ Regnorum vita est, & sine lege, nihilq; ab auro tutum, eorumque habitatoribus, non vt clientibus, sed vt seruis, quinimo vti locandis iumentis, prodigè abutuntur, quod perspicuè Esaias ostendit inquiens auferam sępem, Angelorum scilicet custodiam, & erit in conculcationem gentium &c. Ad hæc addunt, qui abstrusa tractarunt more quidem suo tantum probabiliter, non certò loquentes, haud quicquam nobis euenire in cuius successum potiorem partem non obtineat Angelus, qui illi arti, vel officio


pra-

præsidet; vnde Alexander suscepit in somno remedium ab Angelo militiæ præsidente, quo milites in Gedrosia à colubris morsi conualescerent, & Rogerius Normandorum Dux cuiusdam Sergij proditionem, ac Galenus etiam Angelo vt credibile est propriæ arti assistente intellexit, vt venam cuidam ægroto incideret, quo facto conualuit, propter cuius assistentiam referunt Medicos sæpe numero ita fortunatos esse in ægrotorum acquirenda valetudine, eorumquè prædicendis prognosticis, vt vel propria præsentia, nedum medelis, benè habeant, & proinde ritè consulunt, vtendum fortunatis Medicis, potius quam doctis quoniam felices successus pro ægrotis, & non eruditi discursus inquiruntur &c. Verum, vt oratio ad propriam, à quà recessit, metam reuertatur, addam non inuitus, quod nisi Angeli in tutela desistant, numquam succumbere hostibus nec Reges, nec Magnates, nec etiam particulares homines, non enim sine mysterio respondit ipsa veritas Pilato, nihil in se potestatis habere, nisi datum esset desuper, & Apostolis eum Hierosolymam ire dehortantibus, nonne duodecim horæ sunt diei, quasi iam non esset præfixum tempus, quod Iudæorum animis respondeat, sed aduenturum, Angelorum scilicet terrificantium, & malorum spirituum aduentu inquiunt de more suo secretiores Sapientes, cessantibus pijs, quo hi qui erant propria spontè animis ad malum proni, tum facti proniores fierent voti compotes; tanta cęcitatè percussi, vt videntes non viderent, & audientes non intelligerent, quod sic esse clarè ostenditur, vel ex Angelis in Vrbium expugnationibus apparentibus, de quibus referam de Persici Imperij ruina à Daniele sub hirci cum ariete prælianțis imagine, quod aliud non

innuit quam Angelorũ protectione ammissa omnia pessum ruere; & quod perspicuè patuit ex pluribus armatis equitibus per quadraginta dies continuè apparentibus in aere suprà Hierusalem, & secum certantibus Antiocho Ephiphane Rege, & quod ex igneo etiam gladio viso supra eandem per vnum continuum annum præter cometæ naturam, qui trimestre spatium non excedit, eius enim excidium à peccato, & non à Cœlo extare subinnuit; luit namquè pęnas propter Dei mortem, verbum enim Regis dilacerat (inquit D. Thomas) & non papyrum, qui chartam dilacerat, & D. Hieronymus, verbum ligat, qui Christum ligat, quod etiam præmonstratum scribunt in Bizantij obsidione à Mahumethe secundo Turcarum Tyrãno per quemdam fulgorem diù in aere apparentem, qui eius ruinam ostendit; ac etiam Rhodi per Equitem visum suprà eius mœnia, non amplius, quam semel, hoc enim ostento Turcæ ad tantam spem Vrbis expugnandæ peruenerunt, vt tandem eam expugnarint, per tantum namquè prodigium Angelum Rhodijs præsidentem ab eis protegendis desistere pro comperto habuerunt, non enim eos fugit Vrbes, & regiones, sub Angelorum protectione esse, student namquè Turcæ veteri Testamento, per hæc enim coniecerunt rarò ruinas, & excidia non demonstrari ante hostium obsidionem apparentia, vti obsessorum libertatem per Sanctorum apparitiones, quemadmodum factum scribunt per D. Iacobum Alphonso Congi Principi dum certaret contra Pansum Idolatram, hæc omnia acta sunt ab Angelis, seù Sanctis sub corporeo habitu, quo nos certò sciamus, semper eos præsto esse in nostris necessitatibus, dummodò expediat. Præterea eosdem Angelos adesse ferunt, ne Dæmo-

nes, quanta volunt, mala nobis inferant, potissimum vbi diuina ira sæuit, vt apparet ritè considerantibus ex lue quæ Heluetios aggressa est, vbi plerique ex accolis desiderati sunt, & ex alienigenis nemo, cum plurimi apud eos versarentur, idem etiam eorum medio potius quam Dæmonum opera actum in Liuonia coniectura consequi possumus propter Luteranorum hæresim, cum maior eorum pars iam resipuerit per Stephanum Sarmatiæ Regem eius, subditorumque sumptibus, & sanguine, ita & mare piscibus, alias feracissimum, & Terræ prius cunctis abundantiores steriles factæ erant, vt vix Incolæ vitam ducerent, atque hoc ob religionis mutationem, & proinde non abre Propheta inquit, mutat fructiferam Terram in salsuginem malitia inhabitantium in ea, propensiores influxus prohibendo eorum Angelorum medio, qui præpositi sunt fami, pesti, & bello, per quæ Deus peccatores secundum eius Iustitiam castigat, vndè famem vocando super Terram, Angelũ ipsi præsidentem Hebræorũ more vocat Ohpanim, qui non causam, cũ delitescat, sed sæpe effectum apparentem vocant, per quos etiam Elias Coelum, ne plueret, triennium clausit, atque hos bona Regnis, quibus præsident, procurare certum est, sed infidelium temporanea, non enim pro his Patrem vident, vt æterna orent, vt faciunt pro fidelibus, & paruulis, qui sine peccato sunt, vt ipsa veritas attestatur, dicens Angeli eorum semper vident faciem Patris mei; atque tum potissimum cum publica sunt, vt factum est Sarmatis in eorum Idolatria, dum Piastum in Regem elegerunt per duos Iuuenes habitu peregrino, quos Angelos esse, nihil dubij est, tum quod cum his minimè discubuerint diu requisiti, vt crebro fecerunt cum Patriarchis, tum etiam, quòd verè Deus est, qui mutat, & instituit Regna, & non

Iupiter, non Mars, non Apollo &c. Quod etiam clarum est in veteri Testamento ex manu scribentis visa in pariete Balthasari Caldæorum Regi. Ad hæc eorum medio signa fieri in fidei exercitium perspicuum est, ex linteo diuersis animalibus pleno Diuo Petro ostenso, atque etiam ex tot alijs Prophetarum visionibus, quorum etiam interuentu, & hunc mundum comburi nouissimis diebus, sicut claret ex Apocalypsi, & quartus Angelus effudit phialam in Solem, & datum est illi æstu affligere homines, non enim Deus purgabit tantam machinam ab Adam, nostroquè scelere sine eorũ opera; altiori nãq; causa opus est, vt huius Mundi figura deleatur, elementa comburenda sint, & damnati per Dæmones in gehennam ignis intrudendi, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius à constitutione Mundi. Crux etiam apparebit ob maiorem damnatorum cruciatum, ac Beatorum vehementiorem lætitiam, quæ vel statim post peccatum eorum ministerio nostra salus obumbrata est per Agni pellem, & sub lege apertius per Thau figurata, & demum per eius imaginem rectè ostensa &c. Atque de Angelis hactenus in hoc libello, vt potuimus, vbi siquid boni benigne Lector excerpis, Deum lauda, vtiquè silentio ineffabili prædicandum, à quo omne bonum, ac donum perfectum, cui honor, & gloria in æternum; sin autem, difficili materiæ, rudiquè, & hebeti meo, vt ascribas ingenio, summopere Te oratum velim, egimus enim quod potuimus, & nobis desuper datum est pro nostri ingenij imbecillitate, in quo nos ipsos Ecclesiæ Catholicæ, & Romanæ vtiq; submittimus, à qua ne latum quidem vnguem, nec opere, vel verbo recedere intendimus, & iugitèr protestamur. Vale, & gaude in Deum Opt. Maximum.



FINIS TERTII, ET VLTIMI LIBRI.

5. Ianuarij 1607.